ALMA COLLEGE
LIBRARY
Alma, California

8061.

A. M. D. G.

FATHERS COLLEGE
ALMA
LIBRARY
JOSEPH'S CHURCH
Alma,
SAN JOSE, California


Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/declarissodalibv0000apsa



NON NOBIS DOMINE NON NOBIS
SED NOMINI TVO DA GLORIAM

Ex imagine impressa Coloniae Agrippinae in Officina Birckmannica
Anno M. D. XCIX

DE

CLARIS SODALIBVS

PROVINCIAE TAVRINENSIS

SOCIETATIS IESV

COMMENTARII

CONSCRIPTI ET EXORNATI

A P. SALVATORE CASAGRANDI

EX EADEM PROVINCIA



FATHERS' LIBRARY
ST. JOSEPH'S CHURCH
SAN JOSE, CAL.
ALMA COLLEGE
LIBRARY
Alma, California

ALMA COLLEGE
060.96
LIBRARY
C261
Alma, California

EXCVDEBAT
AVGVSTAE TAVRINORVM
IACOBVS ARNEODVS EQVES
CVRIAE ARCHIEPISCOPALIS OFFICINATOR LIBRARIVS
ANNO CHRISTIANO MCMVI

6772

EDITORIS - IVRA - SACRA - SVNTO

Cum opus, cui titulus DE CLARIS SODALIBVS PROVINCIAE TAVRINENSIS SOCIETATIS IESV... *a* P. Salvatore Casagrandi, *nostrae Societatis Sacerdote lingua latina conscriptum aliqui eiusdem Societatis Theologi, quibus id commisimus, recognoverint et in lucem edi posse probaverint; potestate ab A. R. P. N. Ludovico Martin Praeposito Generali nobis ad id data, facultatem concedimus, ut typis mandetur, si iis, ad quos pertinet, ita videbitur. In cuius rei fidem has litteras manu nostra subscriptas et sigillo officii nostri munitas dedimus*

Augustae Taurinorum, die 19 Martii 1906.

P. Iosephus Chiaudano
Praep. Provincialis.

L. † S.

V. Imprimatur.

Taurini, die 15 Aprilis 1906.

Can. Aetius Gastaldi-Santi, *Provic. Gen.*

Quaecumque narrantur in his Commentariis de Sodalium Prov. Taur. S. I. virtutibus, aut miraculis, ac si qua alia referuntur, quae vim et conditionem naturae ullo modo videantur excedere, ea sic intelligenda sunt, ut a privata duntaxat auctoritate profecta nec fidem humana maiorem promerentia; idque ex decretis Urbani VIII, P. M.

HAEC · QVI · GESTA · LEGIT · REFERET · SVA · PRAEMIA · LAVDIS
OMNE · FERET · PVNCTVM · QVI · BENE · CVNCTA · GERIT

VOBIS · SODALIBVS

PROVINCIAE · TAVRINENSIS · S. · I.

QVOS · INTER

ABHINC · ANNOS · QVINQVAGINTA

DEI · BENIGNO · NVMINE

NON · MEO · MERITO · SVM · COOPTATVS

COMMENTARIOS

VESTRVM · OMNIVM · BONO · AC · SOLATIO

CONSVLTO · EXARATOS

SVMPTVQVE · VESTRO · EXCVSOS

OFFICII · MEMOR

POTISSIME · INSCRIBO

QVAE · LAVS · SCRIPTOREM · SEQVITVR · DILABITVR · AEVO
ACTOREM · MERCES · NON · PERITVRA · MANET

Magnopere iuverit crebro alios de aliis certiores fieri, ac audire quae ad aedificationem, et eorum quae geruntur cognitionem ex variis locis afferuntur.

S. P. N. Ignatii *Constit. VIII, 1.*

PROLOGVS

SCRIPTOR LECTORI

Commentarios in vulgus edo de claris sodalibus provinciae taurinensis Societatis Iesu: de iis scilicet qui, vertente saeculo XIX, vel pietate vel doctrina vel rebus gestis adeo praestitere, ut domi forisque plurimum innotuerint. Hos equidem paene omnes coram novi, eorumque praeclara facta, vel dicta, ita animo insculpsi, ut eadem etiamnum videre, vel audire videar. Itaque, antequam mors me testem e paucis superstitem intercipiat, haec omnia summatim posteritati consignare operae pretium existimo.

Quoniam vero a Superis in rebus omnibus capiendum est omen, cedat libellus in Dei unius laudem, qui *Alpha et Omega est, ac rerum omnium principium et finis* (Apoc. I, 8). Viri praeterea de quibus scripsi, utpote religiosissimi, nunquam celebritati studuerunt, sed Deum ipsum perpetuo spectarunt, eique quidquid boni egerunt iure ac merito retulerunt acceptum. Nam: *Omne datum optimum, et omne donum perfectum de sursum est, descendens a Patre luminum* (Iac. I, 7). Aequum est igitur, quamquam haud par gloria sequitur scriptorem et auctorem rerum, eorum me exempla sectari, neque hominum laudibus, sed Deo inservire, cui soli debetur honor et gloria.

Cedat item in eorum qui me legerint, ac praecipue in meorum sodalium utilitatem. Sermonem enim habeo de iis, quorum res gestae dignae sunt omnino, quae non modo menti insideant, sed etiam re exprimantur. De iis, inquam, sodalibus, qui, quamdiu vita superfuit, se praebuerunt, ut Apostolus ait: *Sicut Dei ministros, in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis, in plagis, in carceribus, in seditionibus, in laboribus, in vigiliis, in ieiuniis, in castitate, in scientia, in longanimitate, in suavitate, in Spiritu Sancto, in charitate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei, per arma iustitiae a dextris et a sinistris, per gloriam et ignobilitatem, per infamiam et bonam famam* (II Cor. c. VI, v. 4).

Spero etiam futurum, ut in ceteris Societatis nostrae provinciis aliquis exsistat, qui de suis sodalibus idem praestare velit atque ego de meis. Habebit, puto, copiosiores et praestantiores viros, quorum illustria facta venustiore eloquio exornet, viamque sternat iis quibus cura magni menologii, vel bibliothecae scriptorum, vel historiae, tum provinciarum, tum Societatis nostrae conscribendae demandabitur. Equidem provinciae venetae sodalem novi, magni sane ingenii atque eruditionis scriptorem, qui, postea-quam mihi ad hos commentarios absolvendos complures stimulos adiecit: *Mihimet,* inquit, *non absimile opus pro mea provincia conficere est in animo.* Faxint Superi, ut quam fidem polliceri est visus, hanc integram praestare queat.

Tum vero, tot virtutum exemplis ob oculos positis, erit cur laetemur, ac Deo Optimo Maximo et Sancto Ignatio, Patri nostro legifero, gratias quam plurimas agamus, quod vocati simus in Societatem Iesu Christi Domini nostri, quam etiam in praesens, post tot annorum intercapedinem, liceat suspicere *Matrem filiorum laetantem* (Ps. 112). Hinc etiam fiet, ut eandem Societatem maiore in dies complectamur amore, et oblivioni potius nostram

quisque dexteram dari velimus, quam tam praeclarae matris unquam non meminerimus.

Quaeres fortasse cur commentarios non italice, sed latine conscripserim. Equidem latino sermone usus sum, ut sodalium meorum ubique terrarum degentium utilitati potissimum prospicerem. Hi enim, varia orti civitate, linguam italicam non omnes intelligunt. Erit etiam cur, inscius nostrarum rerum, facile mireris, inter sodales provinciae taurinensis S. I. de quibus verba feci, plures reperiri, qui in ea minime sint nati. Itaque scire iuvat, in eandem provinciam anno MDCCCXXXI, quo anno a provincia italica distracta est, multos sodales, qui in aliis regionibus ortum habuerant, adscriptos esse; quippe in ditione Sardiniae regis, quam totam provincia taurinensis complectebatur, iam antea morarentur, vel ibi eorum opera maiori quam alibi esset subsidio.

Pari ratione, eodemque fere tempore est effectum, ut nonnulli, qui in eiusdem regis ditione nati erant, in provinciam romanam, vel in aliam cooptarentur. Horum neminem utcumque clarum commemorare non debueram, ne quispiam mihi succenseret, quod alieno in agro metere auderem. At enim quidam sodales, magnae profecto auctoritatis, quibus obsistere religioni habui, suasores mihi fuerunt, ut saltem trium, videlicet Aloisii Mariae Solarii, Aloisii Taparellii ab Azelio et Ioannis Perronii, qui non solum clari, verum etiam clarissimi habendi essent, elogium contexerem. Illorum itaque voluntati sum obsecutus, ita tamen, ut hos a ceteris secernerem et extra ordinem, in libelli Parergon, seu Appendicem amandarem, nec quisquam esset, quin hoc consilium aequi bonique faceret.

Denique de Carolo Emmanuele IV, Sardiniae rege, nostram Societatem ingresso anno MDCCCXV, et, tribus religionis votis nuncupatis, vita functo anno MDCCCXIX, scias velim, illum ad-

scriptum fuisse inter sodales provinciaè quae appellabatur italica. Haec vero post regis obitum in quattuor provincias est divisa; quarum una, videlicet taurinensis, eum iure potiore sibi vindicat, quod nempe in ea sit natus. Itaque de huius vita commentarium conscripsi, et ab eodem narrationem sum exorsus, quod ordinem temporis sequi placuit, quo singuli sodales vita excesserunt.

Haec pauca in antecessum te monitum volui, benigne lector, ne primo in limine haereres. Plura praetereo. Habes enim notas commentariis subiectas, et sub finem operis epilogum, quibus copiosius in rem meam et tuam narrationi consului. Reliquum est, ut, quandoquidem historia, teste Tullio, est magistra, non modo veritatis, sed etiam virtutis, quae egregia facinora in hoc libello sunt relata, uterque, uti optimum quemque, tum scriptorem, tum lectorem decet, pro nostra facultate, Deo auspice, studeamus aemulari. Quod si consecuti erimus, nobis licebit esse felicibus. Vale, meque Deo commenda, ut in quam Societatem, eo auctore, sum ingressus, in hac, eodem adiutore, vitae cursum conficiam.

COMMENTARII



CAROLVS EMMANVEL IV

SARDINIAE REX

COMMENTARII

I.

CAROLVS EMMANVEL SABAVDVS

Victorii Amadei III, Sardiniae regis filius, Augustae Taurinorum vitam iniit anno a parta mundi salute MDCCLI. Regio more institutus, praeceptorem praecipuum a puero est sortitus Sigismundum Gerdilium Allobrogem, virum, doctrinae copia et vitae integritate clarissimum, qui postmodum, ob egregia in rem publicam litterariam et religiosam promerita a Pio VI, summo sacrorum antistite, in Patrum purpuratorum collegium est cooptatus.

Ab hoc itaque omnigenis litteris eruditus, eos brevi progressus effecit, ut, vel ephebus, epitomen historiae romanae, cuius studio plurimum oblectabatur, accurate admodum conscripserit, eamque Gerdilius dignissimam duxerit, quam serius, una cum sui ipsius operibus posteritati mandaret (1). Eius acumen ingenii, quo aetatem longe praevertit, et praeceptorum

admirationem non semel excitavit, hinc licet coniicere. Septem annos natus, quum a Gerdilio, mythologiae commenta enarrante, audivisset, mulierem quandam, Pandoram nomine, vas clausum, quod a Diis dono habuisset, curiositate impulsam aperuisse; atque omnia mala, quae intus laterent, foras repente in hominum perniciem irrupisse: « Qui fieri potuit, inquit, ut mala omnia tum primum exinde in terras irrumperent, quum curiositas, quae malorum origo esse nequeat, quin et ipsa malum sit, iam tum foris necessario esset, ut Pandoram ad tantum nefas impelleret »?

Neque minus pietate valebat. Quidquid prospere, aut adverse eveniebat, ad virtutem excolendam, et mores castigandos referre consueverat. Enimvero, quum olim patris mensae assideret, et vasa, quae antea argentea essent, fictilia animadvertisset: « Haec, inquit, antiquiora, atque ideo cariora habebimus, quod eidem officio praestando sunt idonea, et suam praeterea cuique originem primaevam in mentem revocant ». Praeceptores, ac potissimum Gerdilium, singulari amore prosequebatur; regnoque potitus, hunc secum voluit, quo facilius eius consilio in re publica administranda uteretur. Eidem introeunti obviam ibat; exeuntem ad ostium usque comitabatur. Id porro obstupentibus regiis famulis: « Ne miremini, inquit. Sic decet patrem a filio deduci » (2).

Anno MDCCXCVI, Victorio Amadeo, non tam corporis morbo, quam animi aegritudine, vita functo, quod praecipuae regni arces munitissimae in Gallorum potestatem devenissent, ac regia auctoritas, ab summo fastigio ad medium detracta, iam in eo esset, ut ad imum praecipitaretur, Carolus Emmanuel, ad quem summa imperii redierat, regni habenas suscepturus, et regium diadema iam manibus tenens: « Non gemmeam, inquit, sed spineam coronam capiti impono ». Attamen, imperii diligens, nil praetermisit, ut regno laboranti, pro re ac tempore, subsidio veniret.

Itaque viros spectatae virtutis, fideique probatae, maximis regni rationibus curandis praefecit. Insuper, quod suis opibus unice inniti non posset, nationes vero, quae proximae erant, starent ex adverso, et remotae plus sibi, quam aliis timerent;

cum Gallis ipsis socia arma iunxit, hoc tamen pacto, ne, qui milites subalpini in eorum exercitu stipendia mererent, contra Summum Pontificem arma ferre iuberentur. Alia etiam iisdem liberaliter indulsit, si forte hac via extremam a regno calamitatem propulsaret. At perperam. Nam Galli de rege perdendo iamdiu consilium inierant. Hac mente, complures effrenatis moribus homines, et rerum novarum cupidi, ab iis vel immissi, vel incitati, patria pietate proiecta, veterem disciplinam pervertere, odia intestina fovere, iuraque omnia humana et divina abrumpere coeperunt, ut res saepenumero cum illis gladio esset gerenda, neque tamen rex quidquam proficeret. Ad haec Galli, quo faciliorem sibi ad regnum evertendum viam sternerent, arce taurina occupata, a rege postularunt, ut armorum officinam in suum ipsorum arbitrium permitteret.

Quod rex quum praecise negavisset, ne praecipuo regni robore expoliaretur; ac praeterea sacerdotes, aliosque, qui e Gallia in suam ditionem confugerant ad salutem, eiicere noluisset, Iobertius, Gallorum dux supremus, Mediolano cum magna manu est profectus, et Novariam, Vercellasque ex improviso ingressus, iam infestis signis adpropinquabat, ut in agrum taurinensem, et principem in urbem impetum faceret. Hoc ubi rex intellexit, sensit sibi necessario esse pereundum. Itaque, quamquam fidem suam egregie liberaverat, tamen proditionis a Gallis insimulatus, se regno abdicavit. Regiis aedibus egressurus, cuidam e suis monenti, ut ingentem pecuniae vim, et gemmas conquisitissimas, quae eius iuris essent, secum asportaret, neve eas hostibus diripiendas relinqueret: « Has, inquit, si diripient, a civium opibus, quos loco filiorum habeo, facilius abstinebunt ». Sacrosanctam Christi Iesu Sindonem, quam in regio sacrario religiosissime asservabat, secum in Sardiniam, quam unam Galli reliquam ei fecerant, transvehere cogitavit. Verum a sententia discedens: « Haec quidem, inquit, se ipsa tuebitur ». Rem probavit eventus (3).

Itaque, anno MDCCXCVIII, cum Maria Clotilde, coniuge, civibus ingemiscentibus, nocte intempesta, hieme frigidissima, ac decidente nive, ab urbe est egressus, et magnis itineribus, in regionem parmensem devenit. Hanc vixdum attigerat, cum

nuncius adfertur, Quinqueviros, qui Galliae praeerant, legatis taurinensibus nuper mandavisse, ut regem cum regia familia in Galliam deducendum curarent, ubi obsidis loco, in publica custodia detineretur. Qua re audita, rex innumerabiles Deo gratias egit, quod, inscius, a tanto discrimine incolumis evasisset. Etenim aliqui existimabant, nisi Carolus Emmanuel, eiusque coniux, Ludovici XVI, Galliae regis, soror, iam e suis finibus excessissent, Gallos acerbissimas de utroque poenas capturos fuisse; quandoquidem de ipso rege Ludovico, omnium mitissimo, supplicium crudelissimum iampridem sumere non dubitavissent, quum eum scilicet in medio Parisiorum foro, civibus inspectantibus, infando ausu, morte multarunt.

Apud Ducem parmensem paulum moratus, Carolus Emmanuel Florentiam perrexit, ibique a Magno Duce Etruriae regifice exceptus, quum rescivisset, Pium VI, Pontificem Maximum, Gallorum captivum, in Carthusiae coenobio non longe constitisse, ut exinde in Galliam deduceretur, nil antiquius habuit, quam ut una cum coniuge eum extemplo inviseret. Ad quem cum venisset, ad eius pedes se abiecit, eosque flens osculatus: « Amissi regni, inquit, Beatissime Pater, iam me non poenitet; propterea quia ad tuos pedes provoluto, quod maxime in votis habui, hoc hodie mihi felicissime contigit ». Cui Pontifex, coelum intuitus: « Macte animis, inquit; illic coronae nos manent, quas nemo hominum nostro capiti invidebit ». Quibus rebus visis, atque auditis, Pontificis comites, ac famuli, qui aderant, a lacrimis temperare minime potuerunt. Gallorum vero satellites, qui Pontificem circumsistebant, insita ferocitate posita, religiosos animi motus cohibere frustra sunt conati. Subinde rex eundem Pontificem pluries est cohortatus, ut secum in Sardiniam, in regias aedes se reciperet. Cui is ait, Gallos nulla prorsus ratione Summum Pontificem e manibus dimissuros; utpotę qui de captivo, quamvis aegro et sene, veluti de triumpho omnium maximo, potissimum gloriarentur. De se iam actum esse, nec sibi quidquam aliud superesse, quam mortem, malorum omnium extremum, fortiter oppetere. Denique rex a Carthusiae antistite rogatus, uti amplissimi coenobii, ac fama notissimi, monumenta invisere vellet: « Huc, inquit, accessi, ut Dei Vicarium coram

cernerem. Hoc viso, nil amplius superest, quod dignum oculis usurpem ». Haec ubi dixit, discessit (4).

Quod satis se tutum a Gallis in Etruria non putabat, Labrone quam citissime solvit, ut in Sardiniam traiiceret. Quum in altum venisset, paullum abfuit, ut unius discriminis exitus, alterius caput foret. Nam sub nocte, prospectu tenebris paene adempto, in piratas incidit, qui eo usque audaciae processerunt, ut bellicum tormentum in eius navigium exploderent (5). Nihilominus sospes Calarim appulit. Continuo innumerabili civium atque incolarum multitudine, ingentes laetitiae plausus certatim edentium, undique stipatus, in principem urbis sacram aedem est ingressus, ut solemnes Deo Optimo Maximo, et Magnae Dei Matri gratias ageret, quod terra marique in tot itineris discriminibus sibi prodigialiter adfuissent.

Religione et iustitia, quibus virtutibus stant civitates, Sardiniam est moderatus, ut toti insulae aurea prope aetas illuxerit. Quum interea Gallorum opes in Italia iam essent prostratae, et regnum subalpinum ab Austriae et Russiae imperatoribus, qui, icto foedere, bellum Gallis intulerant, in suorum principum iura restitutum esset, Carolus Emmanuel illico in continentes terras se transmisit, ut Taurinum reverteretur. At enim Napoleonis Magni bellica virtus quidquid Galli amiserant brevi recepit. Qua de causa rex, quam regni iterum potiundi spem conceperat, ab hac denuo est depulsus.

Tamen animum non despondit; atque uti antea, ita postea ad Sardorum bonum sollertissime incubuit. Nam, quum Fulginium per id fere tempus se contulisset, ut Pio VII, Venetiis Pontifici maximo dudum renunciato, atque ad Urbem properanti, obviam cum coniuge veniret, de rebus plurimis cum eo coram egit, quibus religioni ac litteris apud Sardos plenius consuleret. Haec inter ab eo efflagitavit, ut Societas Iesu, quae triginta ferme ante annos, nequitia temporum deleta erat, pontificia auctoritate in Sardiniam restitueretur. Quamquam plurimae difficultates intercedebant, tamen, hoc idem adnitente Maria Clotilde, quae in eandem Societatem studiosissime ferebatur, effectum est, ut ambo, non longa interposita mora, anno nimirum MDCCCI, votis suis potirentur (6).

Ad ceteras regis calamitates alia accessit, quae eius animum vehementissime perculit. Coniugem sanctissimam, quam unice diligebat, ac tot aerumnarum solamini sibi divinitus datam sentiebat, Neapoli, anno proxime insequenti, morbo absumptam amisit. Quamquam plurimis eam lacrimis prosecutus erat, nullum tamen verbum protulit, quod ad querelam recideret; sed totum se divinae providentiae libenti animo commisit. Maximum etiam eius dolori lenimen fuit, quod Summus Pontifex, causa rite expensa, de huius reginae virtutibus publicam sententiam tulit, qua eam videlicet, uti Venerabilem Dei famulam tota christiana republica praedicandam atque habendam decrevit.

Interea Carolo Emmanueli non est visa ratio in Sardiniam redeundi. Quin immo rerum humanarum pertaesus, quae tot casibus sint obnoxiae, et momento evanescant, cum eodem Pontifice habito consilio, eo ipso anno, omnia in regnum iura Victorio Emmanueli fratri cessit, et Romam se recepit, ubi privatus uni Deo vacaret. Ibi paucis admodum viris, iisque sanctissimis, praesertim Venerabili P. Iosepho Pignatellio, Societatis Iesu alumno, quo familiarissime utebatur, sui potestatem faciebat; atque adeo tranquillum se praebuit, ut Galli, qui ultro quietos lacessere consuessent, urbe Roma potiti, et ipso Summo Pontifice in Galliam abrepto, nullam prorsus ei molestiam intulerint, immo pecuniae summam oppido copiosam eidem a publico aerario quotannis solvendam decreverint. Quam tamen rex nisi mutuam accipere noluit. Praeterea taenias aureas solii eius, quas vendiderat, aere redimendas, eique reddendas curarunt. Quidquid enim pecuniae, vel pretiosi habebat, in egenorum solatium erogare solebat; eademque caritate impulsus, ante fores templorum stipem a Christifidelibus colligere non verebatur, quam in pauperes conferret (7).

Anno demum MDCCCXIV, a principibus Europae, qui simul coiverant, Napoleonis Magni, Gallorum imperatoris, exercitu deleto, imperioque everso, quum Victorius Emmanuel I, regno subalpino recepto, Augustam Taurinorum triumphali pompa ingrederetur, Carolus Emmanuel de avitis aedibus iterum incolendis minime cogitavit; immo, anno postero, mundo, eiusque pompis plane valedicens, se ad Sancti Andreae in montem Quirinalem

CAROLVS EMMANVEL IV

SARDINIAE REX

SOCIETATEM IESV INGRESSVS

ANNO M. DCCC. XV

recepit, simulque ut in nostram Societatem adscriberetur enixe postulavit (8). Quo egregio facinore nemo unus fuit, quin magnopere commoveretur. Viri etiam exstitere, maximis muneribus, atque honoribus domi forisque perfuncti, qui tantae religionis exemplo permoti, mundo nuncium remittere non dubitarunt.

Hoc loco, quoniam res monet, tacitus praeterire nequeo, complures magnae cognationis, summi ingenii, et probatae pietatis adolescentes, titulis ablegatis, opibusque posthabitis, Romae, eadem in domo, per id tempus, aut paulo post, nostram Societatem amplexos esse; vel, eadem iam inita, tanti contubernalis virtutibus ob oculos positis, se in religiosa via terenda magis in dies confirmari sensisse. Hos inter compellare licet Altierium, Patritium, Pallavicinium, Caraffam, Carminatium, Marchium, Maneram, Perronum, et Taparellium ab Azelio, qui postmodum nostrae Societati magno decori extitere.

Porro Carolus Emmanuel in religiosam cellam secessit, non ut honesto otio indulgeret, sed quo arctius se Deo obstringeret. Itaque plurimum orationi vacabat, et pro valetudine, qua fruebatur tenuissima, communibus pietatis exercitationibus una cum nostris tironibus intererat. Honorifice ab his appellari aegre admodum ferebat; seque eodem vitae instituto utentem, eorum fratrem esse obtestabatur; proinde fratris nomine, quo ceteri appellarentur, merito nuncupandum. Crebro cum iis, vel de mundi fallacia, vel de inanium laudum contemptu, sermones miscebat, utpote qui longo usu rem plane compertam, atque exploratam haberet (9).

Hinc fiebat, ut Nostri omnia regis verba intentis auribus exciperent; quem fratrem appellabant, hunc colerent ut patrem, et quo diutius eo utebantur, hoc amplius eundem mirarentur, ac suspicerent universi. Rex vero eos singulos, et praecipue tirones, plus oculis diligebat; et saepe animo angebatur, atque in diversa trahebatur, dubius eventuum, qui, in tanta temporum iniquitate, eorum quemque in posterum essent excepturi (10). Quam ob rem hospitis sodalitii egestati, ut suae erat opis, suppetias ivit (11). Postremo, quum lumen oculorum penitus amisisset, insigne omnibus christianae patientiae documentum exhibuit. « Querelis, inquit, omnino est parcendum; immo Deo gratia per-

solvenda, quod tam acerbum corporis incommodum in animi bonum, quem mira dulcedine perfundit, pro sua liberalitate, convertit » (12). Quamquam eodem morbo impediebatur, ne ad sacerdotium, cuius desiderio maxime flagrabat, eveheretur, tamen, digito oculos indicans, hilari vultu tironibus dicere solebat: « Equidem talis esse vellem, quales vos estis. At enim officinam clausi » (13).

Anno MDCCCXIX circumeunte, quum gravi morbo decumberet, et mors iam in foribus adesset, tria religionis vota simplicia, quae Nostri, tirocinio pietatis posito, emittere solent, quaeque dudum et ipse emiserat, iterum nuncupavit. Corpus suum, nullis illitum unguentis, et ea veste indutum, qua nostrae Societatis alumni uti consuevere, quamque ipse domi inter nostros sodales usurpare solitus erat, inhumari iussit. Denique Deum, cui perpetuo inhiaverat, unice spectans, eucharistica dape refectus, pridie nonas octobres, regnum caeleste, cuius parandi gratia, terreno se expoliaverat, est adeptus.

Eius cadaver, ea veste contectum, quam ipse praestituerat, in domo S. Andreae, in feretro stratum, palam omnibus prostabat. Quod eum cuncti, uti virum sanctum, ac Deo carum habuerant, idcirco eius manus pedesque oscŭlari certatim adnitebantur, eiusque laudes uno ore efferebant (14). Subinde cadaver, arca inclusum, in aedem cognominem translatum est, ibique, non ritu communi, ut ipse testamento mandaverat, iusta funebria sunt persoluta, sed pompa regia, maxima vulgi frequentia, et procerum, tum cleri, tum populi corona plurima adstante. Conditus est rex eadem in aede, ibique etiamnum cum nostris sodalibus quampluribus, voti compos, beatam anastasim praestolatur. Carolus Felix, eius frater natu minor, qui Victorium Emmanuelem I in regni administratione exceperat, marmoreum monumentum, ab artifice subalpino, cui nomen Festa, exsculptum, ei statuit, titulo honorificentissimo adhibito, in quo nihilo secius de eius pietatis praecipuo testimonio et ornamento, de votis scilicet religionis, quibus nostrae Societati semel atque iterum se obstrinxerat, nulla mentio facta est (15).

Sunt qui, cum J. Crétineau-Joly, historiarum scriptore gallo, id culpae verterint administris Victorii Emmanuelis I (16). At

vero monumentum non ab hoc rege, sed a Carolo Felice, uti monuimus, positum est. Equidem censeo id probabilius tribui debere prudenti silentio moderatorum nostrorum, qui et in tabella sociorum provinciae italicae, anno MDCCCXIX vita functorum, typis edita, nomen regis siglis tantummodo extulerunt; ita nempe: — C. E. S. —, idest Carolus Emmanuel Sabaudus. Quisnam titulum conscripserit, plane compertum non habeo. At opinari licet, conscriptum esse a P. Iosepho Petruccio, Societatis nostrae rhetore praeclarissimo, qui ea tempestate, in domo S. Andreae in Monte Quirinali, litteras politiores nostris iunioribus tradebat, et titulorum condendorum peritissimus erat.

Hoc porro non impedivit, quominus, quadraginta post annis, quum Victorius Emmanuel II, Subalpinorum rex, tota fere Italia per vim potitus esset, atque hac de causa Societas nostra multarum domorum iacturam passa esset, P. Petrus Beckx, eiusdem Societatis Praepositus Generalis, ad hunc regem publicas litteras daret, quibus suorum iura vindicans, in mentem ei revocare non dubitavit, Carolum Emmanuelem IV, qui ab iisdem atque ille Sabaudiae Ducibus religiosissimis primam originem duxisset, Societatem Iesu tanti fecisse, ut, extremo vitae tempore, ei se totum addixerit, atque in nostris domibus terras sideribus commutaverit (17).

(Sub Protome)

KAROLVS · EMMANVEL

R. · VICT. · AMAD. · F. · R. · KAR. · EMM. · N. · R. · VICT. · AM. · PRON.

SABAVDVS · REX · SARDINIAE · CYP. · HIER.

N. · AVG. · TAVR. · VIIII · KAL. · IVN. · A. · MDCCLI

REGNVM · ADEPTVS · TEMP. · INIQVIS · SANCTE · GESSIT · AN. · SEX

CLOTILDE · F. · VEN. · VIDVATVS · ABDICAVIT · A. · MDCCCII

PRIVATVS · VITAM · DVXIT

OMNIBVS · VIRTVTIBVS · REFERTAM

VTI · VERO · SE · VNI · DEO · MANCIPARET

PACATVM · SECESSVM · APVD · SOD. · IGNAT. · SIBI · DELEGIT

DEMVM · PLVRIMO · MORBO · TACTVS · ANIMO · INVICTVS

VITA · CESSIT · PR. · NON. · OCT. · A · M · DCCC · XVIIII

H. S. E. · VESTITV · AMICTVS · VT · IPSE · IVSSIT · RELIGIOSO

POMPA · REGII · FVNERIS · T. · VETITA

QVO · ETIAM · IↃↃIↃↃ · SCVT. · N. · HOSPITI · SOD. · LEG.

REX · KAROLVS · FELIX

FRATRI · OPT. · B. · M. · PIETATIS · CAVSSA (18).



MONVMENTVM
CAROLO EMMANVELI IV
SARDINIAE REGI
STATVTVM IN TEMPLO S. ANDREAE
IN MONTE QVIRINALI (ROMAE)

OPERA EDITA ET INEDITA

1° In opere, cui titulus: *Nouveaux opuscules du Cardinal Gerdil, publiés pour la première fois d'après les autographes, existants au Collège des PP. Barnabites de Rome —;* Rome au Bureau Place de Venise 114, (anno) 1852; — pag. 105, haec leguntur: — « Le Prince « (Carolus Emmanuel) a dicté un abrégé de l'Histoire des Empereurs « depuis César jusqu'au dernier empereur d'Orient. Monseigneur a su « par le témoignage même de M. le Chevalier (Le Chevalier Solaro, « gouverneur du jeune Prince), que cet abrégé est tout de lui. Cet « ouvrage a surpris des personnes éclairées, qui ont eu peine à se « persuader, que le Prince n'eût pas été aidé dans ce travail ».

His haec nota est subiecta: « Cette histoire des Empereurs se « trouve dans l'Edition des Œuvres complètes de Gerdil, Tom. 8, « pag. 271 ».

2° In eodem opere, pagina 117-128 inclusa, haec habentur: — *Registre de réflexions et reparties du Jeune Prince, notées par son précepteur. — Questions de droit naturel et de morale, avec les réponses de M. le Prince de Piémont* (Carolus Emmanuel).

3° In ephemeridibus, quibus est titulus — *Italia Reale;* (Giovedì-Venerdì, 7, 8 Febbraio 1901, Torino) — habes epistolam Caroli Emmanuelis IV, unam ex quadraginta quattuor, quae cum eiusdem vita vulgabuntur a Theodoro de la Rive.

NOTAE

(1) Jean Frézet, *Histoire de la Maison de Savoie.* Tome troisième ; Turin, de l'Imprimerie Alliana, 1827, pagg. 472-73.

(2) Idem, ut supra, pagg. 582-677.

(3) Idem, item pagg. 577-578. Sunt qui scripserunt, Carolum Emmanuelem a sententia discessisse, motum consilio Archiepiscopi Taurinensium. Consule sis, Tommaso Chiuso, *La Chiesa in Piemonte dal 1797 ai giorni nostri ;* vol. II, pag. 30. Torino 1888.

(4) Idem, item, pag. 536. — Rohrbacher, *Storia universale della Chiesa Cattolica,* vol. XV, libro CX. — Gaetano Moroni, *Dizionario di Erudizione storico-ecclesiastica.....* vol. LXI, in Venezia, dalla tipografia Emiliana, MDCCCLIII, pagg. 171, 173.

(5) Frézet, ut supra, pag. 537.

(6) Giuseppe Boero, *Istoria della Vita del V. P. Giuseppe Maria Pignatelli.* Libro quarto, cap. XII.

(7) Gaetano Moroni, in opere supra memorato in nota 4. En eius verba : « Si narra, che più non essendo (Carlo Emmanuele IV) in grado di far limosine, si pose più d'una volta alla porta delle chiese a sollecitarvi a pro de' poveri la carità dei fedeli, in tempo, che, imprigionato da Napoleone Pio VII, Roma ubbidiva alla sua potenza. Si aggiunge, che nel 1812 fu costretto vendere i galloni già serviti al suo trono, e che il generale Miollis governatore della città, non solo glieli fece restituire, ma rappresentò il suo stato a Napoleone, il quale lo costrinse a ricevere, a titolo di presto, annui franchi 180.000 ».

(8) Carolus Emmanuel IV Sabaudus Societatem Iesu tanti faciebat, ut antequam haec in pristinum restitueretur, dicere soleret : « Se non ci fossero ex Gesuiti, non vi sarebbero ex re » videlicet : « Si Iesuitae deleti non fuissent, reges expulsi non essent ». Hac autem restituta, non iterum regem, quod Victorii Emmanuelis fratris rogatu facile poterat, sed Iesuitam esse maluit.

(9) *Ménologe de la Compagnie de Jésus,* par le Père Elesban de Guilhermy de la même Compagnie. Assistance d'Italie, deuxième partie. Paris, 1894 (p. 372).

(10) J. Crétineau-Joly, *Histoire de la Compagnie de Jésus*. Tome VI, chapitre prémier, pag. 45-6.

(11) Hoc licet legere in titulo inscripto eius monumento sepulcrali.

(12) Frézet, ut supra, pag. 574.

(13) « Si compiaceva di conversare coi novizii, e, come mi raccontò uno di essi, il P. Leonardo Giribaldi, talvolta diceva scherzando e alludendo alla sua cecità: Cari fratelli; anche io vorrei essere in tutto come voi; ma ho chiuso bottega » *(Memorie storiche intorno al P. Luigi Ricasoli e alla Compagnia di Gesù in Toscana,* raccolte dal P. Pietro Galletti, della medesima Compagnia. Prato, tip. Giachetti, Figlio e C., 1901; pag. 58, in nota).

(14) Hoc accidit in domo S. Andreae, in contubernio regis, non vero in templo cognomine, uti narrat P. Elesban de Guilhermy in Menologio supra citato. Iuvat afferre epistolam P. Aloisii Panizzoni ad Leopoldum Ricasoli, datam die 30 Octobris 1819, in qua haec, aliaque plura declarantur: « Ella avrà veduto nei publici fogli il celebre funerale fatto in questa chiesa del Noviziato al defunto re Carlo Emmanuele di Savoia: onde aggiungo soltanto, che egli già da alcuni anni, colla permissione di Sua Santità, aveva fatti i voti religiosi della nostra Compagnia; e quindi volle esser vestito da Gesuita, e tale comparve quando, esposto nel suo appartamento, gli fu recitato l'uffizio dei morti da quattro Ordini Religiosi; ma siccome non volle essere imbalsamato, cominciando a mandare cattivo odore, fu poi messo in cassa, e però in chiesa non si potè vedere; dopo le solenni esequie fu tumulato in Chiesa nostra, come aveva egli ordinato, e si attende poi la disposizione del Fratello, Re di Sardegna » (Ex manuscriptis tabularii Societatis Iesu). Haec epistola evulgata est a P. Petro Galletti in opere supra citato.

(15) Ex epistola P. Iosephi Sineo della Torre, Praepositi Provincialis Italiae, conscripta Romae, die undecimo octobris 1819, ad P. Vulliet Praep. Prov. Siciliae, constat Carolum Emmanuelem bis vota Scholasticorum in nostra Societate emisisse. Haec enim scribit: « È morto S. M. il Re Carlo Emmanuele di Savoia; aveva egli fatti i voti scolastici, e li rinnovò nell'ultima malattia ». (Ex tabulario Societatis Iesu). Prima vice vota emisit, tirocinio religionis posito. Caietanus Moroni, loco supra allato, haec addit: « Si concertò la cosa in modo che continuasse a vivere con modesta corte, e potesse possedere e testare. ».

(16) J. Crétineau-Joly, in opere memorato, pag. 46 in nota. Emendandus est etiam locus huius auctoris, ubi narrat, Carolum Emmanuelem IV vita excessisse, die septimo octobris; siquidem hic decessit nocte, quae antecedit diem sextum eiusdem mensis, uti constat ex epistola P. Sineo ad Episcopum Lausoniensem, cuius in aedibus asservatur charta autographa.

(17) En eius verba: « ..... Questa protesta io indirizzo alla coscienza della M. V. La depongo sulla tomba di Carlo Emmanuele IV, illustre predecessore di V. M. Egli dal trono, onde Ella regna al presente, scese volontariamente, sono appunto nove lustri, per morire fra noi, vestito dell'abito, legato dai voti della Compagnia di Gesù, professando nel nostro noviziato di Roma, dove ora riposano le benedette sue ceneri, quella maniera di vita, cui il governo della M. V. vitupera e persegue con odio così calunnioso e così feroce ..... » (Vide *La Civiltà Cattolica,* serie IV, vol. VIII, pag. 629).

(18) In hypogeo Basilicae, cui nomen Superga, apud Augustam Taurinorum, haec alia inscriptio serius statuta est:

CAROLVS EMMANVEL IV
VICT. AM. SAB. FILIVS
REX SARD. CYPRI ET HIEROSOL.
VEN. M. CLOTILDAE CONIVX PIISSIMVS
RELIGIONE AC DOCTRINA PRAECLARVS
N. AVG. TAVRIN. VIII KAL. IVNII A. MDCCLI
OBIIT ROMAE PRID. NON. OCT. A. MDCCCXIX
VMBERTVS I ITAL. REX
NE HIC QVOQVE MAIORIS SVI LAVDATISSIMI
DEESSET MEMORIA
P.

II.

IOANNES ANTONIVS GRASSI

Viri memoriam aggredior, qui de nostra Societate plurimum, de Provincia vero Taurinensi unus omnium maxime meruit. Bergomas fuit, et in lucem editus anno christiano MDCCLXXV, duobus nimirum post annis ab eadem Societate deleta. Hoc tamen ei impedimento non fuit, quominus ab adolescentia eam arctissime diligeret, atque in eandem, in ditione parmensi iterum vigentem, ingredi properaret. Itaque, anno MDCCXCIX, Colurnum se contulit, ibique a Venerabili P. Iosepho Maria Pignatellio, qui ea tempestate illo in oppido tironum nostrorum magisterio fungebatur, humanissime exceptus est.

Eo auspice, in via pietatis, iam inde a primis tentaminibus, longissime processit. Inibi in morbum gravissimum est implicitus, quo iam in eo erat, ut vita excederet. At vero, quum Pignatellius eum Sancto Antonio Patavino enixis precibus commendavisset, quo die eidem Beato Caeliti sacra solemnia instaurantur, repente convaluit. Sacerdotio insignitus, et tirocinii biennio posito, in Albam Russiam est accitus, ut in Academia Polociensi mathesi sublimiori operam daret. Abeunti Pignatellius: « Quam remotissime quidem, inquit, ab Italia digrederis. Verum, post nostram Societatem ubique terrarum legitime restitutam, huc tibi regrediendum erit, ut plurimam in eius commodum operam conferas » .

Quum itaque Grassius in tam longinquam regionem devenisset, P. Franciscus Kareu, nostrae Societatis Vicarius Generalis, eo viso, confestim ad Pignatellium litteras dedit, quibus de adolescente sibi misso admodum est gratulatus, quod scilicet ipso oris habitu, vultusque modestia, magistri virtutes referret, qui eum Colurni ad omnem pietatem instituisset. Grassius studiis confectis, a P. Gabriele Gruber, novo Vicario Generali, Petropolim est accersitus, atque Astrakanum ad Caspium mare, dein, mutato consilio, Pechinum, in urbem Sinarum principem, contendere est iussus, ut nostris sodalibus, qui illic versabantur, in sacris expeditionibus adiumento veniret. Hac de causa, in Suetiam, Angliam, ac demum Olyssiponem in Lusitaniam, una cum P. Norberto Korsack, devenit, ut exinde in Sinas traiiceret. Nullam ibi in Asiam navigandi opportunitatem nactus, in Angliam, dein in Hiberniam est regressus; iamque in eo erat, ut Petropolim reverteretur, et Pechinum itinere pedestri se conferret. At enim eius moderatores, re cognita, eum in Americam, quae ad Aquilonem vergit, properare, atque ad rempublicam civitatum foederatarum navem appellere iusserunt, ut ibi ceteris Societatis nostrae alumnis, in animarum salute procuranda, subsidio esset. Quibus in itineribus sexennium contrivit (1).

Quum, anno MDCCCX, eo venisset, Ioanni Baptistae Carroll Baltimorensium Episcopo, Societatis Iesu alumno, et ceteris omnibus mirifice se probavit. Qui Episcopus eum ad consilium saepissime adhibuit; sibique, iam morti proximo, ad extremum usque adesse voluit. Grassius praeterea rector maximi Athenaei Georgiopolitani renunciatus, studiis provehendis plurimum insudavit. Piis ministeriis obeundis, praesertim haereticis ad fidem catholicam revocandis, navam operam posuit, omniumque animos sibi penitus adiunxit. Ibidem, bienno elapso, ad solemnem quattuor votorum professionem est evectus, ac praeterea omnium nostrorum sodalium, qui in amplissima illa regione degebant, moderator dictus est.

Septem annos in America est commoratus, maxima, tum suorum, tum aliorum consensione. Inter eius animi dotes, prudentia et in rebus agendis dexteritas, in primis eminebant. Ingenia ac mores hominum plane cognita habebat; et quae sequi,

aut cavere deberet, probe noverat. Quid etiam suorum quisque in praesens valeret, vel in posterum portenderet, facili negotio perspiciebat, praesentiebatque; quo fiebat, ut nihil operis adgrederetur, quin e sententia contingeret. Quum Fratrem adiutorem a rebus domesticis, cui nomen Mac-Elroy, inter iuniores, qui litteris dant operam, transcribi iussisset, nemo fuit, a quo magnopere non dilaudaretur. Hic enim, Sacerdotio auctus, et quattuor votorum professus inauguratus, in Dei gloria et vulgi salute curanda adeo profecit, tantamque nominis famam est adeptus, ut a summis memoratae reipublicae magistratibus plurima benevolentiae atque honoris significatione honestatus sit (2).

Haud facile narraverim quot Grassius labores susceperit, discrimina adierit, et morbis gravissimis conflictatus sit tam diutino annorum lapsu, quo ab Italia longe abfuit. Quae tamen omnia hilari et constanti animo est perpessus; quippe qui non dubitabat, quin ea superaturus, atque olim, prouti Pignatellius praenunciaverat, nostra Societate ubique gentium restituta, in Italiam regressurus esset. Enimvero, iam lato decreto, quo Pius VII, Pontifex Maximus, anno MDCCCXIV, eandem Societatem in pristinum plane revocavit, Grassius in Europam regredi est iussus, ut de Americana missione cum suis praesidibus coram ageret. Qui virum adeo praestantem, rerum peritissimum, et complurium europaeorum sermonum scientem, in Italia retinendum existimarunt (3).

Post haec P. Iosepho Sineo, provinciae italicae praeposito socius est datus; et eiusdem provinciae procurator est renunciatus. Anno MDCCCXX, Romae comitiis interfuit, in quibus P. Aloisius Fortis universae Societati Iesu moderandae est adlectus. Anno proxime insequenti, ob singularem gubernandi peritiam, qua plerisque anteibat, Augustam Taurinorum missus est, ut Collegii-Convictus Nobilium, cui et a Carmelo nomen, habenas regeret. Huic diutissime ac felicissime praefuit. Alumnorum, civium, ac praecipue Caroli Felicis, Subalpinorum regis, studia in se, suosque magnopere excitavit, omniumque voluntates sibi facile demeruit.

Quam ob rem Carolus Felix, procerum, ac praesertim Viottii Equitis, regii athenaei censoris, precibus obsecutus, amplissimum

illud, et clarissimum collegium taurinense, cui a Provinciis nomen inditum, sodalium nostrorum fidei committendum curavit. Huic regundo, a P. Praeposito Generali Ordinis nostri, Grassio potissimum adnitente, sodales probatissimi delecti sunt. Eius summa est delata P. Ioanni Roothaan, viro prudentissimo, doctissimoque, qui postmodum supremam nostrae Societatis praefecturam obiit. Magisterio pietatis, et litteris, tum latinis, tum italicis tradendis praepositus est P. Franciscus Manera, domo Neapoli, omnium aetatis suae in omnigenis disciplinis praestantissimus (4). Is praeterea, regis decreto, eloquentiae praecepta regii athenaei alumnis statis diebus tradere est iussus. Quo in munere, tale ac tantum ingenii periculum fecit, ut exspectationem superaverit, et Augustam totam, quin etiam universam subalpinorum regionem fama compleverit. Itaque maximas Patri Grassio civitas gratias egit, habuit, retulitque. Hic enim horum omnium auctor, vel suasor exstitisse censebatur. Qui tametsi Collegio Nobilium moderando satis superque distinebatur, tamen, civium desiderio, etiam Gymnasii urbani scholis omnibus est praefectus.

Ad haec accessit, quod Carolus Felix, et Maria Christina, eius coniux religiosissima, eundem Grassium sibi a sacris confessionibus optarunt; seque in iis, quae animae salutem spectant, uterque penitus ei concrediderunt. Quo facto, tota natio est commota. Etenim nemo non videbat, totius regni salutem in Grassii fide propemodum sitam esse. Itaque, qui in nostram Societatem aequo animo exstabant, in spem erigi, ac laetitia gestire; qui vero obliquis oculis eam adspiciebant, magno metu turbari, ac trepidare, ne sodales nostri sensim in consuetudinem regni venirent, rerum potirentur, ac de se aliquando actum foret. Porro Grassius in tam arduo munere ita se gessit, ut in iis quae sacri ministerii fines excederent, medium iter teneret, ne forte in alterutrum flectens, in alicuius offensionem incideret. Itaque nemo fuit, quin initam ab eo agendi rationem magnopere probaret, optime de eo sentiret, atque amicissime loqueretur (5).

Neque minoribus honoris significationibus sui eum domi, quam foris alieni prosequebantur. Anno MDCCCXXIX, novis comitiis generalibus indictis, Romam secundum est missus deliberatum, quinam in locum praepositi generalis demortui sufficiendus

esset. Post haec P. Ioannes Roothaan, qui huic muneri supremo auspicatissime praefectus erat, nil antiquius habuit, quam ut ipsum Grassium, Taurinum regressurum, rectorem Collegii Provinciarum adlegeret. Quo nil carius regi, et civibus omnibus accidere potuit. Porro, anno insequenti, quum hoc collegium, ob turbarum civilium timorem clausum esset, Grassius Collegium Nobilium iterum moderandum suscepit.

Quum itaque opinionem, quam de se concitaverat, ita explevisset, ut res nostrae Societatis tota Sardiniae regis ditione maxime florerent, et sodalium nostrorum numerus inibi augeretur in dies, provincia Ordinis nostri, quae appellabatur Italica, anno MDCCCXXXI, XI Kalendas Maias, in duas est distracta, in romanam nimirum et subalpinam, seu taurinensem; cui moderandae sub initio Grassius ipse praepositi vicibus est adlectus (6). At enim aliquot post dies, Carolo Felice vita functo, quum Carolus Albertus imperium obtinuisset, magnus hinc timor sodales nostros incessit, ne rerum facies repente immutaretur. Interim Grassius, qui etsi provinciam taurinensem regebat, tamen, Collegio Nobilium etiam tum praeerat, ad novum regem, una cum P. Antonio Brescianio, eiusdem collegii administro, viro, generis nobilitate, et litterarum laude clarissimo, gratulatum venit. Quos ubi rex est conspicatus, illico obviam processit, et Grassio plurimum est gratulatus, quod Carolo Felici, in extremo vitae limine versanti, diu noctuque, summo studio adfuisset; dein: « Novi, inquit, decessoris mei egregiam in vestrum Ordinem voluntatem. Equidem pari me animo, quin etiam potiore in eundem praestabo ». His dictis, Grassii manum arripuit, ut eam oscularetur. At hic maiore usus celeritate, osculum regis manui prior dedit. Tum rex utrumque peramanter est amplexatus, atque humanissime dimisit (7).

Neque sane est conticendum, regem, quod verbo pollicitus erat, quamdiu facultas est data, re praestitisse. Nam paullo post Collegium Sanctorum Martyrum, templumque cognomine, in nostra iura restituit; et annis insequentibus regias aedes, quas Genuae amplissimas habebat, nostris sodalibus tradidit incolendas, ut collegium iuventuti erudiendae ea in urbe statuerent. Quam regis in nostram Societatem, ac praesertim in Grassium

benevolentiam, liberalitatemque, nemo unus suspectam habuit. Quippe omnes censebant, neque id Carolum Albertum latebat, Grassium in gravissimis controversiis, quae inter Carolum Felicem et Carolum Albertum intercesserant, in neutram partem se movisse. Quin etiam rumor permanaverat, quod postea per certos auctores est compertum, Carolum Felicem a Grassio sententiam rogato deterritum esse, ne in Carolum Albertum gravius animadverteret, ut futurae regni stabilitati consultum iret (8). Quae omnia nobis erant attingenda, ut Grassii elogio sua extaret integritas.

Pridie nonas iunias eius anni, quo provinciae taurinensi praeesse coeperat, Grassius, quod Mariae Christinae, uti supra docuimus, a confessionibus erat, eamque sequi debebat, provinciae regimen P. Caesari Polidorio perusino cessit, ac brevi post tempore Neapolim, quo eadem regina se contulerat, est profectus; ibique Convictus Nobilium rector est constitutus (9). Eadem de causa, anno MDCCCXXXII, Taurinum, incredibili regis et civium laetitia, regressus est, et Collegium Sanctorum Martyrum primus omnium a restituta Societate gubernavit. Quinquennium hac in urbe est moratus; atque uti antea, ita postea, tum nostris, tum alienis, maximo fuit praesidio, et ornamento. Aloisio e marchionibus Fransoniis, Taurinensium Archiepiscopo, iucundissimus extitit, et ab eo librorum edendorum cognitor est renunciatus. Hinc iterum Neapolim, dein Romam venit; ibique Collegii urbani a Propaganda Fide rector est iussus. Biennio elapso, anno videlicet MDCCCXLII, a Patre Praeposito Generali in locum P. Vincentii Pavanii vita functi est suffectus; atque ita Italiae *Assistens,* qui titulus a supremo proxime abest, creatus est. Quum aetate iam consenuisset, et ob civiles motus anni MDCCCXLVIII, et insequentis, res nostrae Societatis et Ecclesiae universae perculsae admodum iacerent, non minus animi dolore tactus, quam corporis morbo correptus, vitam explevit Romae, annos natus septuaginta quattuor.

Eius obitu provincia taurinensis suum lumen praecipuum exstinctum, et columen firmissimum ademptum indoluit. Tantam enim virtutis commendationem apud omnes consecutus erat, ut in exemplum sodalibus proponeretur. Enimvero, P. Thad-

daeus Brzozowskius, primus a restituta Societate Praepositus Generalis, ad cuiusdam sodalis pertinaciam castigandam, datis ad hunc litteris: « Novi, inquit, te Iosepho Pignatellio, eximio religiosae disciplinae magistro, et Ioanne-Antonio Grassio, optimo contubernali usum esse. Horum igitur exempla sectare, ne quid gravius in te cogar statuere » (10).

Nullum de Grassii vita commentarium, vel elogium, publicis, aut privatis litteris consignatum inveni. Equidem hanc memoriam contexui, ne viro, cui provincia taurinensis suum a prima origine incrementum, ac decus acceptum refert, grati animi testimonium deesset.

OPERA EDITA ET INEDITA

1° *Notizie varie sullo stato presente della Republica degli Stati Uniti dell'America settentrionale,* scritte al principio del 1818 dal P. Giovanni Grassi della Compagnia di Gesù. In Roma 1818. Presso Luigi Perego Salvioni. Col permesso; 8°, pp. VIII-120. (Etiam Mediolani et Taurini editae sunt, et anglice translatae).

2° *Journal d'un voyage vers la Chine;* — Hoc opus ita effertur in ephemeridibus, quibus est titulus — *Woodstock Lettres* — (1875, t. IV, p. 115-136): — *Voyage of Very* Rev. J. Antony Grassi S. I. from Russia to America, Jan. 1805-Oct. 1810.

3° KEIT, *Uso del Globo*, Traduzione dall'Inglese, Torino, Marietti, 1825, 12°.

4° GAUTHIER, *Il Giovane mal creato,* Traduzione dal Francese, Ibid., id., 182..., 18°.

5° *Geografia*, Torino, Marietti, 1838, 12°. Ristampata più volte dallo stesso Marietti; adottata dall'Università di Torino per uso dei Collegi reali.

6° *Déposition dans le procès pour la Cause du Vén. P. Pignatelli en 1842, etc.*

A. Versio italica huius operis nondum est edita: — *Short History of the origin and progress of the Protestant Religion, extracted from the best Protestant Writers, by Challoner* —.

NOTAE

(1) Quae hactenus narravimus de P. Grassio licet reperiri in hoc opere: — *Istoria della Vita del Ven. Padre Giuseppe M. Pignatelli della Compagnia di Gesù, descritta dal* P. Giuseppe Boero *della medesima Compagnia*. Libri cinque. Roma, coi tipi della *Civiltà Cattolica*, 1856. (pp. 285, 298, 304, 561, 562).

(2) J. Crétineau-Joly, *Histoire de la Compagnie de Jésus*. Tome sixième. Paris. (Chapitre VI, pp. 285, 294).

(3) Boerus, ut supra.

(4) Iophredus Casalis, qui, ea tempestate, eloquentiae eodem in Athenaeo tradendae frustra inhiaverat, maximas hac de causa inimicitias cum nostris sodalibus suscepit; atque in opere edito, quod inscripsit: — *Dizionario Geografico, storico degli Stati di S. M. il Re di Sardegna,* — Collegii Provinciarum historiam enarrans, plurimas in nostram Societatem, ac praecipue in Grassium, calumnias congessit. Manserat alta mente repostum iudicium regis.

(5) J. Crétineau-Joly, ut supra.

(6) In opere, quod inscribitur: — *Atlas Geographicus Societatis Iesu* — edito Parisiis anno mcm, haec in pagina septima leguntur: « Provincia taurinensis a Provincia romana disiuncta est die 4 Iunii 1831 ». At vero hoc accidit XI Kalendas Maias eiusdem anni, prouti constat ex decreto huius divisionis, facto a P. Ioanne Roothaan, Praeposito Generali Soc. Iesu. Praeterea pridie nonas Iunias anni memorati, P. Caesar Polidorius, in Provincia taurinensi administranda, P. Ioannem Antonium Grassium excepit, qui primus hoc munus susceperat pridie Kalendas Maias anni eiusdem.

In eodem Atlante Geographico, sub N° 5, inter Collegia provinciae taurinensis ab anno mdcccxxxi, ad annum mdcccxlviii recensetur Collegium

provinciarum (taurinense). Porro hoc clausum est anno MDCCCXXX, neque amplius nostrorum sodalium curae est commissum. Haec aperte constant ex tabulario provinciae taurinensis.

(7) *Della Vita e delle Opere del P. Antonio Bresciani della Compagnia di Gesù.* Commentario. Roma, Ufficio della *Civiltà Cattolica,* anno MDCCCLXIX, Capo XI, Pagina XLV.

(8) *Civiltà Cattolica.* Serie X. Vol. x, Pag. 529.

(9) Ex tabulario Prov. Taur. S. I. — *Diario del convitto torinese dei nobili,* 10 Luglio 1831 —.

(10) IOSEPHUS BOERUS in *commentariolo vitae P. Thaddaei Brzozowski,* addito *Menologio P. Antonii Patrignanii.*

III.

ISAÏAS CARMINATI

Hic adeo praestans fuit, ut in eius laudibus sint ponendi plerique sodales, quorum in hoc libello exstant elogia. Quippe ab eo litteris sunt instituti; quodque nominis decus in his adepti sunt, hoc ei iure retulerunt acceptum. Bergomas fuit, et honestissimis ortus parentibus anno christiano MDCCXCVIII. Ut in Societatem Iesu adscriberetur enixe postulavit, et optatis est potitus suis Romae eo anno, quo eadem a Pio VII, Pontifice Maximo, in integrum est restituta.

Iosephum Petruccium, antiquum eiusdem Societatis sodalem, locupletissimae litteraturae, magnique nominis rhetorem, praeceptorem habuit; quo praeeunte, adeo longe processit, ut venustissimi ingenii adolescens, iam non discipulus, sed doctor videri potuerit. Is enim erat, ut nihil ei deesset, quo, vel a natura, vel ab arte ingenia informari solent, et quae condebat, carmina praecipue, digna oppido censerentur, quae in vulgus prodirent. Ex his elegiam latinam, ad laudem Ioannis Woroniczii, Cracoviensium Episcopi, viri nobilissimi, et nostrae Societatis alumni, elegantem sane et concinnam, eius moderatores edendam curarunt. Quo factum est, ut annos natus undeviginti, praeclarissimi vatis famam sibi compararet.

Ferrariae Dominicum Zecchinellium, philosophum e paucis excellentem, audivit; ibique postea litteras politiores tradidit

tanta cum laude, ut nihil supra. Fani et Mutinae is rhetor extitit, quales perpauci admodum extitisse feruntur. Dein Romae Xaverio Patritio, et Ioanne Perrono, optimae notae doctoribus usus, plurimos in sacris disciplinis progressus habuit. Biennio exacto, ob caeli inclementiam, Regium Lepidi contendit, ubi privatus theologica studia est prosecutus. Haec eadem Ferrariae explevit, ibique continuo scita philosophorum explanavit.

Sub initio anni MDCCCXXXI, ob civiles motus, in Aemiliae regionibus excitatos, in Sardiniae regis ditionem perfugium quaesivit. Ita est factum ut, quum provincia Societatis nostrae, quae Italica vocabatur, in duas esset distracta, in iura provinciae Subalpinae transferretur (1). Itaque sub exitum eiusdem anni Cherium in urbem est accitus, ubi potiora ingenii documenta reliquit. Nam iugi vocis magisterio, et suimetipsius exemplo, iuniores huius provinciae ad omnem litterarum honestatem diutissime effinxit, ut quamplures exinde magistri et scriptores provenerint, qui magni postea, quin etiam maximi habiti sunt. Ibidem, duobus post annis, ad solemnem quattuor votorum professionem est evectus.

Septem annis circumvolutis, Collegium Gallarinium novariense, rectoris vice, biennium est moderatus. Quo in munere omnium animos sibi adiunxit. Studia, quibus praeerat, in melius provexit, et multa studiorum experimenta exhibenda curavit, quibus clarorum civium novariensium res gestas venustissimis inscriptionibus latinis exornavit. Vixdum collegium regendum susceperat, quum in magnum vitae discrimen incidit. Nocturno tempore, sicarius, secretò collegium ingressus, quum Caietanum Anceschium, collegii oeconomum, atque administrum, quem pecunia exspoliare parabat, lecto decumbentem adortus esset, atque humi stratum, multis vulneribus confossum, exanimem reliquisset, etiam Carminatium rectorem, uti perhibent, ad necem quaesivit. At enim hic Taurinum pridie profectus, nondum Novariam redierat (2).

Novaria Genuam venit, studiorum praefecturam in Collegio Albertino auspicaturus. Anno insequenti, Taurinum properavit, ut nostris adolescentulis in collegio SS. Martyrum divinas litteras interpretaretur. Inibi ab Archiepiscopo Taurinensium inter cen-

sores librorum edendorum est adscitus. Triennio hac in urbe circumacto, Genuam est regressus, ut memorato Collegio Albertino Rector praeesset, ibique tres amplius annos optimi Praesidis partes cumulate explevit. Librorum etiam censor ab Archiepiscopo huius urbis est renunciatus. At vero tempora teterrima intercesserunt. Nam anno MDCCCXLVIII, ab hominibus perduellibus, et religioni iniquissimis, tota Italia, ac praesertim Genuae, in nostros sodales factus est impetus. Itaque Carminatius, una cum suis hinc excedere est coactus adeo inopinato, ut ne sua quidem scripta secum asportare integrum illi fuerit. Alia complura tum temporis est passus, quae alibi enarrare est animus, quandoquidem ea in praesens persequi, genus scripturae prohibet (3).

Hanc iacturam Carminatius vehementer indoluit. Placentiam, dein Bergomum apud suos divertit; et his in urbibus totum se animarum saluti curandae devovit. Quippe non minus pietate, quam doctrina praestabat, et in collegiis, quibus antea praefuit, licet tot curis distentus, ad hoc etiam munus sanctissime incubuit. Exeunte anno MDCCCXLIX, Romam accersitus, Iuris Ecclesiae institutiones in Lycaeo Gregoriano tradere coepit. Quod ea in urbe minus commoda valetudine utebatur, Regium Lepidi se contulit, ut in nostro collegio sacram theologiam doceret. Quum sex menses ibi exegisset, vel ob pectoris imbecillitatem, qua ab adolescentia laborabat, vel ob animi aegritudinem, quam in tanta rerum publicarum immutatione conceperat, violento implicitus morbo, diem extremum, adhuc firma aetate, confecit, annos natus nimirum tres et quinquaginta.

Vir fuit eruditissimus latine, italice, graece et hebraice. Multa de re theologica, philosophica, historica, et litteraria evulgavit, quorum hic subiicimus ordinem.

OPERA EDITA ET INEDITA

1° *Excellentissimi Illustrissimi Ac Reverendissimi Domini Domini Ioannis Woronicz Dei Miseratione Et Apostolicae Sedis Gratia Episcopi Cracoviensis Nec Non Augustissimi Rossiae Imperatoris Ac Poloniae Regis Alexandri I Intimi Status Consiliarii Ac Ordinum Aquilae Albae Et S. Stanislai Equitis Nomini Sacer Dies Celebratur. Elegia.* Romae, MDCCCXVII. Apud Franciscum Bourlié (pag. VIII in 8°).

Iosephus Melandrius iure censet hunc titulum, et notas quasdam elegiae subiectas, non esse Carminatio adscribendas.

2° *Ad Alphonsum Rodericum Soc. Iesu Sod. Adiut. A Rebus Domesticis Caelitem Beatum. Elegia.* (Videtur impressa esse Mutinae, anno MDCCCXXV).

3° *Theses, Quas Ex Universa Philosophia Coram Excellentissimo et Nobilissimo Viro Aloisio Rangoni March. Praefecto Publicis Studiis Moderandis Propugnandas Suscipiunt Angelus Camurani Cl. E. Sem., Aloisius Chiesi, Prosper Del Rio Cl. Prosper Del Rio Auditores Philosophiae Apud Collegium Soc. Iesu. Regii in Aemilia.* — Ex Officina Petri Fiaccadori, Typographi Parmensis et Regiensis anno MDCCCXXVIIII. (pp. 46, 8°). (Plurimis libellus scatet mendis, incuria typothetae).

Has Theses, quas Seraphinus Sordius propugnandas exhibuit, Carminatius eleganti latinitate donavit, doctas iisdem enarrationes subtexuit, et Inscriptionem praefixit, qua libellus et disputatio Mariae Sanctae et Aloisio Gonzagae dicantur.

4° *Aesopi Phrygis Fabellae XXXVI, additis XIIII ex variis auctoribus.* Taurini, Typis Hyacinthi Marietti MDCCCXXXVI (pag. 48, 8°).

Ad calcem libelli scitum elogium typographi Carminatius apposuit, cum carmine iambico, de eiusdem sollertia in libris graecis edendis.

5° *Nomenclator Aesopicus, seu Lexicon parvum Fabularum LX, pro tironibus* (Loco, typographo, et anno ut supra, pp. 68, 8°).

In hac opella est monitum Carminatii, eleganter ut cetera perscriptum, de usu Lexici, et de ratione puerorum linguam graecam docendorum.

6° *Epigrammata Centum ex Anthologia Graecorum selecta metricis interpretationibus subiectis*, Taurini, (ut supra) MDCCCXXXVII (pp. 80 in 8°).

Has interpretationes Carminatius ipse confecit latino sermone adeo exquisito, ut inter interpretes primas tulerit. Nonnullas alias etiam subiecit ex Cunichio et Fuga decerptas. Sub libelli finem aliquot pro re nata adnotationes adscripsit.

7° *Luciani Colloquia XVI selecta.* (Ibid. item anno MDCCCXXXVII, pp. 84 in 8°).

Ut hunc auctorem adolescentes innoxiis oculis usurparent, Carminatius eum non modo illustravit, sed expurgavit. Quocirca litterarum studiosi hoc nomine plurimum ei debent. Luciani colloquiis, perinde ac Aesopi fabellis, venustissimum prooemium affixit.

8° *Exercitia S. P. Ignatii de Loyola, auctore R. P. Aloisio Bellecio e Soc. Iesu, et Sacrae Theologiae doctore.* Editio secunda taurinensis. Augustae Taurinorum ex typographeo Hyac. Marietti, anno MDCCCXXXV (pp. 460 in 8°).

Huius auctoris dictionem latinam ad leges latini sermonis composuit.

9° *Triduum sacrum praecipue Religiosorum usui accomodatum, auctore (ut supra). Accedit appendix de methodo expedite meditandi* (ut supra). (pp. 100 in 8°).

10° *Exercitia Spiritualia S. P. Ignatii Loyolae cum sensu eorundem explanato, et Directorium, additis tribus Appendicibus, auctore P. Ignatio Diertins, S. I.* Vol. I, II. Augustae Taurinorum, ex typographeo Hyacinthi Marietti, anno MDCCCXXXVIII (pp. 540, in 8°).

Plurimam operam cum aliis contulit, ut nitide et eleganter iterum ederentur, eademque prooemio instruxit.

11° *Il Natale e i Misteri dell'Infanzia di Nostro Signore. Trattenimento accademico di poesia e di musica istrumentale che offrono al Pubblico i Signori Convittori del R. Collegio di Novara diretto dai PP. della Compagnia di Gesù, nella solenne inaugurazione dell'Accademia de' Filelleni fondata in detto Collegio il giorno 12 Gennaio 1839.* Novara, per Francesco Artaria e Compagno tipografi (pag. 24 in 8°).

12° *S. Gaudenzio primo Vescovo e Protettore di Novara. Accademia di poesia e di belle arti, che offrono al Pubblico i Signori Convittori del Reale Collegio de' Padri della Compagnia di Gesù in Novara il 28 Aprile 1840.* Novara (ut supra) (pp. 26 in 8°).

Commentarius de Vita huius Episcopi a P. Iosepho Melandrio falso tribuitur Carminatio. Nam a Iosepho Boero, qui tum temporis litteras politiores Novariae tradebat, est elucubratus (4).

13° *La perrucca del P. Ruggero Boscovich. — Capitoli del P. Giulio Cordara, tradotti in versi latini dal P. Raimondo Cunich, tre celebri Gesuiti del Secolo XVIII.* Novara, tipografia Artaria e Compagno (pag. 26 in 8°). — Annus editionis minime est adscriptus.

14° Nonnullis etiam opusculis de morali Theologia, praecipue vero — Medullae Theologiae moralis Hermanni Busembaum — illustrandis,

tum prooemiis, tum adnotationibus, operam contulit cum P. Paulo Beorchia, de quibus in huius elogio loquemur. Hic enim ea in lucem dedit.

15° *Hieronymi Lagomarsinii Genuensis e Soc. Iesu, Opera edita et inedita.* Editio prima. Genuae, typis R. I. Surdo-mut. MDCCCXLII (pp. XXIV, 527 in 8°).

Huic editioni Carminatius praeposuit vitam Lagomarsinii, ab Angelo Fabronio enarratam, et aliquas subnexuit animadversiones, quibus ea castigavit, quae Fabronius, studio partium abreptus, minus accurate protulit.

16° *I Santuarii di Nostra Signora nella Liguria. Accademia di poesia, che offrono al Pubblico gli Scolari del R. Collegio e Convitto, diretto dai PP. della Compagnia di Gesù, il 1 Agosto MDCCCXLI.* Genova, tipografia Ferrando (pp. 22 in 8°).

17° *Ob Faustitatem Coniugii Principum NN. Victorii et Adelaidis, tituli* Επιθαλάμιοι *et* Πολύγλωσσοι. Taurini, Typographia Hyacinthi Marietti, MDCCCXLII (pp. 42 in 8°).

Titulos latinos, italicos et hellenicos Carminatius conscripsit; reliquos alii: omnes tamen scriptores ex provincia taurinensi Soc. Iesu.

18° *S. Thomae Aquinatis theologicae Summae compendium, auctore P. Petro Alagona S. I.* Taurini, ex Typographia Ecclesiastica Hyacinthi Marietti. MDCCCXLIII (pp. 374 in 32°).

Huic compendio Carminatius praeposuit elogium Alagonae. Hoc cum aliis tribus, a Carminatio pariter latine confectis, Iosephus Melandrius iterum evulgavit in opere quod inferius recensebimus sub numero 23° (6, 7, 9).

19° *Della Passione e del culto dei Santi Martiri Solutore, Avventore ed Ottavio. Dissertazione del P. Francescantonio Zaccaria della Compagnia di Gesù, con prefazione e note del P. Isaia Carminati della medesima Compagnia, Professore di Sacra Scrittura nel Collegio dei SS. Martiri.* Torino, dai tipografi editori Speirani e Ferrero, 1844 (pp. 288 in 8°).

Huic opellae multas ac praeclaras accessiones fecit; idemque copioso, atque eruditissimo prooemio donavit. Praeterea appendices aliquot ei adiecit, quae ad historiam spectant Provinciae Taurinensis Soc. Iesu.

20° *I primi elementi del sistema di D. Vincenzo Gioberti, dialogizzati fra lui e un lettore dell'Opera sua, scrittura, che può valere d'Isagoge per l'introduzione allo studio della Filosofia dello stesso Sig. Abbate, con prefazione.* Napoli, dalla tipografia di Filippo Serafini 1849 (pp. 92 in 8°).

Huic operi, cuius auctor fuit P. Seraphinus Sordi S. I., Carminatius dissertationem eruditam, compluresque notas adiecit adversus novam philosophandi rationem Vincentii Giobertii, quam omnigeno argumentorum pondere est insectatus. E libris a Carminatio, vel scriptis, vel editis, hic fuit novissimus.

Haec quidem omnia a Carminatio evulgata Iosephus Melandrius accuratissime recenset. At Sommervogelius in opere quod inscribitur: — *Bibliothéque de la Compagnie de Jésus* — haec alia eidem attribuit:

21° *Prefazione;* — en tête d'une èdition de: *L'Atto di Contrizione.* Torino, Marietti, 1841.

22° Osservazioni sopra un articolo del Signor Prusca, inserito nel *Vaglio* n. 23 dell'anno I. S. l. et a., 8°, pp. 8.

In capite huius opellae haec leguntur: — Estratto dal Vol. XI del *Propagatore religioso* (Torino, presso Alessandro Paravia).

Carminatio vita functo, haec in lucem sunt edita:

23° *Iesaïae Carminati e Soc. Iesu Carmina et Inscriptiones edidit Iosephus Melandrius ex eadem Soc.* Romae, ex Typographia Polyglotta S. C. de Propaganda Fide. MDCCCLXXVIII (pp. 208 in 8°).

Haec carmina adeo excellunt, ut a viris litteratis ad veterum latinorum poëtarum laudem accedere existimentur. Inscriptiones vero non minoris sunt momenti. Egregiam admodum, tum carminum, tum inscriptionum Carminatii recensionem habes in ephemeridibus, quibus a *Civilitate Catholica* fit nomen (5). Nihilominus fateor, Carminatium in eo non esse laudandum, quod Catulli stilum in elegiis nimis presse secutus, vatis, ceteroquin venustissimi, non modo virtutes, sed etiam vitia est sectatus, et mythologiae commentis in rebus sacris indulsit. Carminibus et inscriptionibus Melandrius has Carminatii opellas, vel earum prooemia adiecit, Appendicis instar:

a) *Oratio I De pietatis cum litteris coniungendae studio.*

b) *Oratio II De veteri docendi ratione.*

c) *Ad lectorem. De Aesopo, deque Auctorum Graecorum delectu.*

d) *Ad lectorem. De delectu Epigrammatum ex Anthologia Graecorum.*

e) *Luciani Colloquia XVI selecta. Prooemium ad lectorem.*

f) *Ioannis Baptistae Faure e Societate Iesu dubitationes theologicae. Editor lectori.*

g) *Andreae Hieronymi Andreucci e Societate Iesu disputatio theologica de recidivis. Editor lectori.*

h) *Sancti Thomae Aquinatis Theologicae Summae compendium auctore Petro Alagona S. I. Editor taurinensis lectori.*

i) *Petri Claver novensilis Beati elogium.*

Hoc elogium, trifariam partitum, inter psalmos matutinos recitandum, a Carminatio est compositum, Sacrae Liturgiae exornandae.

24° *Epigrammi CLXXVIII scelti dall'Antologia Greca, tradotti in verso latino dal P. Isaia Carminati d. C. d. G., pubblicati e commentati dal P. Giuseppe Melandri d. m. C.* Roma, Tipografia Poliglotta della S. C. di *Propaganda Fide,* 1888 (4° pp. 246).

25° *Isaïae Carminati S. I. Auditorum Cheriensium Carmina sacra edidit Salvator Casagrandius ex eadem Societate.* Excudit Augustae

Taurinorum Vincentius Bona, Regis Italiae Officinator Librarius, Anno CIↃ IↃCCC XCVIII (12°, pp. XVI-64).

Haec carmina, typis elegantissimis excusa, cunctis plausibus, praesertim ab Italis et Germanis, excepta sunt; siquidem ad normam et plumbum scriptorum, quos classicos nuncupamus, sunt deducta. Quid porro laudis sit tribuendum auditoribus, quidve praeceptori, aperte declaratur in opellae prooemio. Denique non conticendum, in hoc carminum libello, pagina 57, linea 19, incuria typothetae, integram vocem omissam esse, prouti facile dignosci licet ex metri deficentia et generum discrepantia. Itaque ubi legis — Lauta manent, pinguem aut coenatis omasum; — ita est legendum: — Lauta manent, pinguem lumbum, aut coenatis omasum — (6).

A. Aliqua Carminatii scripta, iniuria temporum, vel hominum incuria, deperiere. Alia vero, quod fortasse non satis auctori ad unguem perfecta visa sunt, ab eo in frusta conscissa, vel igni permissa fuere. Haec inter fuit poëma italicum de urbis Testonae excidio; quae urbs antiquissima a Calleroduno et Cherio in Subalpinis non longe aberat. Hanc Iosephus Melandrius, in commentario vitae Carminatii, Dertonam falso appellat.

B. Sommervogelius in *Bibliotheca Societatis Iesu*, Vol. II, columna 756, haec etiam scribit: Il travaillà à la continuation de nôtre *Bibliotheca Scriptorum*. A la p. 141 du N° 6, après avoir parlé de plusieurs jésuites célèbres, il dit: « Dei quali tutti, e dei molti altri omessi, o dimenticati, forse altrove in opera a parte, a Dio piacendo, parleremo ». Ces notes ont disparu.

C. Aliquam operam videtur etiam contulisse in libro conficiendo P. Pii Melia, qui inscribitur: — *Alcune affermazioni del Sig. Antonio Rosmini Serbati... con un Saggio di Riflessioni, scritte da Eusebio Cristiano, 1841.*

D. Postremo notare placet, in — *Bibliotheca Societatis Iesu* — a Sommervogelio edita, epistolam etiam recenseri a Carminatio ad Thomam Vallaurium datam die 13 Novembris, anno 1844, quod nimirum evulgata sit Taurini (Roux e Favale a. 1880) in libello, cui titulus: — Lettere di illustri Scrittori a Tommaso Vallauri — . At in eadem Bibliotheca recensita non sunt ea Carminatii opera, quae nos recensuimus sub Numeris 3°, 8°, 9°, 10°, 12°, 13°, 14°, 15°, 20° (7). Nihilominus Iosephus Melandrius haec etiam adnumerare voluit, quod nempe Carminatius, horum editionem vel curaverit, vel auxerit, vel perfecerit. Hunc autem nos sumus secuti; quod scilicet Carminatius hoc labore magis de litteris meritus est, quam eam epistolam conscribendo.

E. Alia complura, tum de virtutibus, tum de scriptis tam praeclari rhetoris licet reperiri in eius vitae commentario, eleganti plane et compto, a Melandrio conscripto, et eiusdem carminibus atque inscriptionibus praefixo. Itaque Carminatii studiosos ad Melandrium delegamus.

NOTAE

(1) Iosephus Melandrius in *Commentario vitae Carminatii,* quamvis copiosissimo, haec rerum adiuncta silentio praeterit. Qua de causa Carminatius in regionem subalpinorum se receperit, aperte narrat P. Antonius Brescianius in hoc opere: *Dei Costumi di Sardegna.* Parte Seconda. Capo Primo.

(2) Ex *Historia Collegii Novariensis* quae asservatur in tabulario Provinciae Taurinensis S. I.

(3) Haec, si Superis placuerit, fusius narrabuntur in *Historia expulsionis Sodalium S. I. a Sardiniae regis ditione.*

(4) Melandrius ipse hoc idem postea testatus est. Videsis *La Civiltà Cattolica* Serie X, Vol. IX, p. 454, in nota.

(5) *Civiltà Cattolica,* (ut in nota superiore) pag. 453.

(6) *Civiltà Cattolica* Serie XVII, Vol. III. p. 578.

(7) Aliquid tamen Sommervogelius de Carminatii additamentis indicat ubi de horum operum auctoribus mentionem facit.

IV.

IOSEPHVS CALVETTI

Hic fuit taurinensis, et in lucem editus anno MDCCCXIX. In collegio patrio, cui nomen a Carmelo, ad omnem litterarum humanitatem a nostris sodalibus est informatus; quo in curriculo aequalibus perpetuo praeivit. Neque minus pietate praestitit. Inculpatis moribus adolescens, Deum, eiusque Virginem Parentem impense colebat; pravas iuvenum familiaritates vitabat; maiores natu verebatur, eorumque consiliis potissimum nitebatur. Christi Evangelium non erubescebat; utque malorum hominum irrisiones eluderet, luce palam, templa adibat, sacris intererat, et angelica dape reficiebatur. Quid ingenii bonitas, et recta institutio valerent quum satis superque comprobavisset, collegii moderatores, diuturno eius voto obsecuti, eum, annos natum sedecim, Cherium, proximam in urbem miserunt, ut in nostra Societate religiosae vitae tirocinium iniret.

Ibi summa laetitia a tironibus est exceptus. Nam pietatis, ingenii et doctrinae fama illum anteiverat. Erat etiam in eo tanta oris suavitas et morum urbanitas, ut nemo foret, quin eius frui consuetudine maxime optaret. Novis, iisque firmissimis religionis fundamentis positis, litteris venustioribus, duce Carminatio, uti nostri sunt mores, operam denuo impendit; dein Taurini in Collegio Sanctorum Martyrum philosophicis disciplinis animum advertit tanta felicitate, ut praeceptores eum elegerint,

qui sub anni exitum universa philosophorum scita, in sacrario Sanctorum Martyrum, pro concione exponeret ac propugnaret. Quamquam vero valetudine est impeditus, quominus hoc ingenii specimen publice exhiberet (1).

Postea Camberium, in urbem Allobrogum caput ac magistram, contendit; et in collegio Nostrorum mathesim sublimiorem, scientiasque, quas naturales adpellamus, explanavit. Quo in munere talem se praestitit, ut Allobroges, apud quos id genus disciplinarum plurimo est in honore, summis eum laudibus extulerint, et Archiepiscopus Camberiensium, vir longe doctissimus, operam dederit, ut Calvettius, licet annos quinque et viginti minor natus, in Camberiensem Academiam scientiarum cooptaretur. Id porro Academici omnes ad unum optime factum senserunt.

Anno MDCCCXLVIII, quo sodales nostri omnes tota Italia e suis domibus per vim sunt eiecti, ac bellum illud ingens exarsit, quo Carolus Albertus, Sardiniae rex, armis contra Austriae Imperatorem illatis, victus, fugatus et fusus, regno avito se abdicavit, Calvettius, qui theologiae studio Taurini operam dabat, non expers fuit periculi. Ubi vero intellexit sibi otium non dari pro securitate vivendi, et studendi tranquillitate, idoneum tempus est ratus religioni obsequendi suae. Itaque sacerdotio clanculum (2) initiatus, et sodalem nactus, qui ad sacras exterarum gentium *missiones* ire parabat, repentino usus consilio, facultate impetrata, sese eidem itineris comitem dedit. Quum Lutetiam Parisiorum devenisset, ut deinde e Galliae littoribus in extremam Californiam mearet, et silvestres homines a fero cultu ad christianam humanitatem traduceret, accidit ut, quo studebat, pervenire non posset. Quippe Praepositus Provinciae Franciae, tam praestantis adolescentis virtutem admiratus, veritusque, ne, si longius iret, brevi, ob infirmam valetudinem, desideraretur, eum ultra progredi prohibuit (3).

Interim Lavallium iussus proficisci, sacrarum disciplinarum curriculum confecit. Quo confecto, Namurci in Belgio philosophiam biennium tradidit, ac pari tempore aliquot europaeos sermones memoriae mandavit. His in urbibus talem se praebuit, ut eius praesides testati sint, paucos inibi reperiri in doctrina et pietate cum eo conferendos, anteferendum fortasse neminem. At

etiam in rebus gerendis singularem sapientiae commendationem est consecutus. Qua de re relatum accepimus, unum ex eius moderatoribus hanc de eo sententiam protulisse: « Hic adolescens iam is est, ut pauca a nobis perdiscere, plurima vero nos docere queat ». Romam, exeunte anno MDCCCLI, est accitus, ibique tertium pii tirocinii annum exegit. Quo exacto, sollemnibus religiosae professionis votis nuncupatis, alio privato se obstrinxit, quo nimirum Deo est pollicitus, dummodo sui moderatores id ratum vellent, se in remotissimas Sinarum regiones iturum, ut ingentem eam populorum multitudinem Christo lucraretur. Interea nobilissimum ei in Athenaeo Gregoriano magisterium est oblatum. Hoc tamen non suscepit, causam interserens, se huic ferendo non esse. Itaque in Collegium Scriptorum, cui nomen — *La Civiltà Cattolica* — est adscitus; idque muneris libens adiit, quod non oblatum, sed delatum sibi esset.

Continuo, quid scribendo efficere poterat, cunctis innotuit. Nam de Virgine Deipara, labis primaevae immuni; de progressu philosophico, quem recens aetas sibi forte polliceri queat; deque principiis, quibus recta hominum institutio inniti debet, apte disseruit, ut nihil supra: aliaque multa dictavit, digna omnino, quae a doctis oculis usurpentur. Tum vero omnium collegarum ora in eum sunt conversa. Etenim rei theologicae, philosophicae, mathematicae, physicae, historicae, ac litterariae quam qui maxime peritus, et complurium sermonum sciens; ad hoc pius, comis, facilis, spretor sui, aliorum laudator, desidiae osor, officii diligens, et rerum prudens, adeo se cunctis probavit, ut in eam omnes sententiam descenderint, qua illum moderatorem ephemeridum salutaverunt. In quo sane anceps haereo, utrum electum, an electores magis laudem. Viri enim doctissimi, quorum aliqui ad grandem aetatem devenerant, et amplissimis praeterea in nostra Societate muneribus perfuncti erant, quos inter Brescianius et Taparellius ab Azelio numerabantur, se totos in unius iunioris fidem, qui quartum ac tricesimum aetatis annum nondum expleverat, uno ore atque animo receperunt.

At, anno elapso, ex quo Calvettius id munus inierat, vel quod minus commoda valetudine utebatur, vel quod difficiliora Collegii sui exstabant exordia, nimia virium usus contentione,

letali correptus morbo, ea ipsa in acie occubuit, in qua dux idem et miles strenue decernebat. Mortem adventantem imperturbato vidit animo; et sodalibus, se iam decedentem insolabiliter moerentibus, quod tot tantaeque de ipso spes conceptae praeciderentur, laeto ore, perinde ac si ex domo in domum esset transiturus, vale dixit supremum, aetate non sua, annos natus videlicet quinque et triginta.

Huius viri obitus acerbissimus exstitit, non modo sodalibus, et collegis, sed illis omnibus, qui eum coram noverant, vel quantus foret, et quantum in posterum portenderet, auribus acceperant. Erant enim qui existimarent, nisi mors eum intercepisset, futurum fuisse ut serius ocius ad supremos Societatis nostrae honores eveheretur. Exstat eius elogium copiosissimum in accessionibus, quae ad Menologium Iosephi Patrignanii a Iosepho Boero sunt factae, sub die III Nonas Februarias anni MDCCCLV, quo die Calvettius migravit ad Superos (4).

OPERA EDITA

1° In ephemeridibus — *La Civiltà Cattolica* —

a) *Rivista del Saggio intorno al Socialismo e alle dottrine e tendenze socialistiche (del Conte della Motta).* — (Torino) Prima Serie. Tomo VIII, 1852, p. 72-82.

b) *Critica del Rinnovamento d'Italia (di V. Gioberti).* Serie Prima. Tomo IX, p. 127-145.

c) *Del Giappone.* Serie Prima. Tomo IX, p. 483-500; 603-620; — Tomo X, pag. 61-77, 253-269.

d) *Del progresso filosofico possibile nel tempo presente.* Serie Seconda. Tomo III, 1853, p. 265-287.

e) *Il Verbo della Rivoluzione.* Serie Seconda. Tomo IV, p. 481-496.

f) *Dell'Educazione Teorica.* Serie Seconda. Tomo V, 1854, p. 385-402, 513-528, 622-626; — Tomo VI, p. 145-157, 254-267, 500-513; — Tomo VII. p. 59-73, 236-245. — *Dell'Educazione dell'uomo e della donna.* Tomo VII, p. 59-73; (anno 1854), 491-505; Tomo VIII, p. 24-35, 257-271, 517-532, 648-668.

g) *Il Domma dell' Immacolata Concezione e la Civiltà.* Serie Seconda. Tomo VIII, 1854, p. 485-504. Germanice translatum est.

h) *(Riviste).* Tomo XIX, p. 91-5, 206-7.

2° Aliquid etiam scripsit in — *Rivista della Stampa,* — *Cronaca Contemporanea* — .

3° Exstant eius epistolae aliquot in ephemeridibus — *L'Univers* — *L'Ami de la Religion* — *Annales de Philosophie chrétienne* — 4ª ser., t. 9.

NOTAE

(1) Ex tabulario Provinciae Taurinensis S. I. *Historia Collegii Taurinensis SS. Martyrum.*

(2) Videsis in *Elogio P. Francisci Pellici,* pag. 204 huius libelli, qua ratione id acciderit.

(3) In libro cui titulus — *Lettere della Provincia Torinese anno 1893-1896*, Torino, Tip. G. Derossi 1897, in pagina 352, haec de Iosepho Calvettio leguntur: — « Cacciato in bando nel 1848, girò l'Inghilterra,..... ricevette il Sacerdozio nel Collegio di Laval (in Francia) ». Haec porro sunt emendanda ad normam eorum, quae in tabulario provinciae taurinensis scripta asservantur, et a nobis enarrata sunt.

(4) Calvettii notitiam excerpsimus ex his operibus:

I. *Menologio di pie memorie d' alcuni religiosi della Compagnia di Gesù, che fiorirono in virtù e santità, raccolte dal MDXXXVIIII al MDCCXXVIII, per* Giuseppe Antonio Patrignani, *e continuato fino ai di nostri per* Giuseppe Boero... *etc.* Roma, coi tipi della *Civiltà Cattolica,* 1859. Vol. II, p. 57-61.

II. *La Civiltà Cattolica.* Serie Seconda. Tom. IX, pag. 496.

V.

PAVLVS BEORCHIA

Domo fuit Utino, ingenio et memoria promptus quam qui maxime; doctus atque eruditus supra fidem. Nostram Societatem est ingressus anno MDCCCXVII, aetatis suae altero et vicesimo. Pronum est coniicere, plurimam eum ac diuturnam litteris, ceterisque disciplinis, antequam suis valediceret, operam impendisse. Etenim iis curis ex officio in posterum distentus, quae suapte natura animum a studio impediunt, quamquam vir navus et impiger erat, tot tantosque in re litteraria, historica, philosophica et theologica progressus apud nos efficere neutiquam poterat. Romae tirocinium pietatis explevit, et litteras docuit Urbini; dein theologiam recoluit, partim Romae in Athenaeo Gregoriano sub Kolmano et Perrono, magni nominis praeceptoribus, partim Augustae Taurinorum privato studio. Ad sacerdotium anno MDCCCXXIX, et quadriennio post, ad solemnem quattuor votorum professionem est evectus.

In Convictu Nobilium taurinensi sumptibus curandis quam diutissime praefuit; quandoquidem in hac re adeo inter nostros excellebat, ut cum eo comparandus inveniretur nemo. Quocirca adhuc adolescens, antequam Romae theologiae operam daret, eo in convictu huic muneri explendo est praepositus. Haec eius ingenii facultas causae fuit, ni fallor, cur potius aerarii custodia, quam docendi munus a nostris moderatoribus ei transcriberetur.

Nihilo secius non minorem, quin etiam maiorem, in litteris ac scientiis alendis fovendisque, admirationem sui excitavit. Librorum scriptorumque omnigenam notitiam habuit; et in libris conquirendis, recensendis, illustrandis ac denuo edendis plurimus fuit, ut totam aetatem, nulla vel minima temporis particula praetermissa, in hoc insumpsisse videretur. Pluribus in collegiis vitam egit; in quae singula ut pedem intulerat, continuo, vel voluntate, vel rogatu praesidum, qui eius genio indulgere studebant, bibliothecae praefecturam inibat.

Ad tredecim annos in urbe Taurino est commoratus; quorum duodecim in convictu Nobilium; unum, qui fuit a Christo nato MDCCCXXX, in Collegio, cui nomen a Provinciis. Hoc tempore opera complura typis excudenda curavit, quae si recenseas, in infinitum abeas. Quamquam vero non omnia innotescunt. Nam Beorchia prooemiis, vel adnotationibus operum a se editorum, suum nomen non subiiciebat, vel siglis, iisque raro admodum, utebatur. Quippe celebritati minime studebat; et quam alii operam in libris edendis cum eo contulerant, ne sibi uni tribueretur, prorsus verebatur. Enimvero sodales nostros quamplures, sane doctos, videlicet Grassium, Grossium, Maneram, Carminatium, Nozzium, Angelinium, Brescianium, Badum, Pariam, Boerum, in libris deligendis, annotandis, expurgandisque, adhibere solebat. Qui omnes magno sibi honori ducebant tanto homini, pro suis quisque viribus, suppetias ire; atque ita, dum ei praesto erant, copiosiorem sibi in dies eruditionem parabant. Neque porro silentio transmittendum, Hyacinthum Mariettium Beorchiae acceptum referre solitum esse, quod maximi nominis typotheta evaserit, magnasque exinde opes sibi suisque paraverit.

Anno MDCCCXL ad finem vergente, Beorchia Novariam est missus, ut Collegium Gallarinium, Rectoris et Praefecti studiorum auctoritate, moderaretur. Collegii etiam bibliothecam curandam sibi suscepit, et publicus librorum edendorum censor a summis magistratibus est renunciatus. Anno insequenti, a suis sodalibus est adlectus, qui Romae, omnium provinciarum procuratorum conventui interesset. Sexennium rectoris munere felicissime functus, Genuam devenit, ibique bibliothecae domus *professae* ad Sancti

Ambrosii praefecturam obiit, et ab Archiepiscopo Genuensi censor librorum, et iudex extra Synodum est iussus. Anno MDCCCXLVIII, omnium teterrimo, ab universa Sardiniae regis ditione, una cum suis sodalibus eiectus, quum nullum alium locum tutum haberet, quo fugeret ad salutem, Utinum se recepit ad suos. Quamquam ibi honestum otium usurpare poterat, in sacro ephebeo magister pietatis exstitit, atque in ea studia totus incubuit, in quibus plurimum se amabat. Itaque quae litterae eius iuventutem aluerant, etiam senectutem oblectarunt. Hoc tempore, ut facili coniectura assequimur, opus conscripsit, cui nomen indidit: — *Bibliotheca Scriptorum Utinensium* —. Quamobrem calamitas, quae maximum aliis detrimentum intulerat, summam illi ex sententia peperit utilitatem.

Sub exitum anni MDCCCLIV, Romam accersitus est; et in Convictu Nobilium magister pietatis exstitit. Locupletissimae Athenaei Gregoriani bibliothecae praefecto socius etiam est datus, et censor librorum, qui a Nostris essent evulgandi, est renunciatus. Per id tempus, magnum opus contexuit, cui est titulus: — *Bibliotheca Scriptorum Societatis Iesu* —. Id Carolo Sommervogelio uberrimam segetem postea suppeditavit. Nam Beorchia in eo redigendo totam Collegii Romani bibliothecam, amplissimam atque antiquissimam, est depopulatus. Anno demum MDCCCLIX, morbo tactus, Urbemveterem venit, ibique, non vero Viterbii, ut Sommervogelius scribit, diem suum obiit.

Idem Sommervogelius eum adpellare non dubitat, bibliographum numeris omnibus absolutum, atque ad id munus a natura plane comparatum (1). Melandrius vero virum multiplici eruditione et doctrina clarum, et singulari in nostrum Ordinem amore insignem. Iuventutis instituendae apprime peritus, tanti est habitus, ut ii adolescentes optime audirent, qui ab eo probarentur. Urbanus, comis, benignus, hos magna benevolentia complectebatur; eorumque ingenium, atque indolem animi primo intuitu perspiciebat, ut raro admodum opinio eum falleret. Ingeniosiorum voluntates in primis sibi captabat, iisque libentius indulgere solebat, quo eos videlicet ad pietatem sectandam, et studia adamanda facilius alliceret. Ita est factum, ut horum complures in litteris quam maxime proficerent, et pio instinctu per-

moti, mundo se abdicarent, atque nostrae Societati, vel aliis religiosis familiis, nomen darent. Hos inter fuit Iosephus Brunengus, praecipuus aetatis nostrae historicus, cuius in hoc libello habes elogium. Itaque Beorchiae non solum litterae, sed etiam religio plurimum debet.

Praeter Sommervogelium et Melandrium, nullum alium auctorem invenio, qui de Beorchia verba faciat. Equidem ex tabulario provinciae taurinensis S. I. et ex iis, quae ab eius sodalibus accepi, hanc de eo memoriam conscripsi, qua tanti viri nomen longius ad posteros propagetur.

OPERA EDITA ET INEDITA

1° *Elementi della Storia per la Gioventù delle Scuole.* In Torino 182 .. Est altera editio operis confecti ab Acacio Saracinelli S. I. In suis manuscriptis Beorchia haec ait: « e un'altra volta con altre giunte e mutazioni considerabili dal P. P. B. in Torino, 182... ».

2° *Le lodi della Sacra Teologia sotto nome di Beatrice, cavate dalla* Comedia *di Dante, e distribuite in cinque Sonetti dal* P. Luigi Lanzi della Compagnia di Gesù. Torino, per Giacinto Marietti, 1828, 8°, pp. 24. (Nova editio).

3° *Trattato dello Stile e del Dialogo del* P. Sforza Pallavicino d. C. d. G. Torino, 1830, 16°. (Id.).

4° *Avvertimenti Grammaticali del* P. Sf. Pallavicino. Torino, 1830, 16°. (Id.).

5° *Pensieri di Cristo appassionato per ciascun giorno della Quaresima del* P. Carl' Ambrogio Cattaneo della Compagnia di Gesù. Torino, Giacinto Marietti, 1833 (?) 18°.

6° *Il Magistero Spirituale intorno agli Esercizi Spirituali... Operetta del* P. Gio. Domenico Ottonelli d. C. d. G. Torino, 1846, 12°. (Id.).

Alia omnino, eaque plura opera, uti etiam Sommervogelius censet, Beorchia edenda curavit typis Hyac. Marietti, inter quae adnumeranda existimo opera omnia S. Alphonsi Mariae de Ligorio, P. Danielis Bartoli, et P. Pauli Segnerii Senioris. Praeterea de variis notis Beorchiae pro — *Bibliotheca Christiana* — typis evulgata, mentionem facit idem Sommervogelius.

7° *Compendium Theologiae moralis Sancti Alphonsi Mariae de Ligorio, sive Medulla Theologiae moralis Hermanni Busembaum Societatis Iesu, ab ipso Ligorio, adiectis nonnullis adnotationibus, probata.* Editio prima. Iriae, typis Caesaris Giani. M. DCCCXL.

Huius editionis dissertatio prolegomena a Melandrio tribuitur P. Carminatio; a Sommervogelio vero adscribitur, tum Carminatio, tum Beorchiae. De eadem editione haec scribit Melandrius: « Ut Ianseniorum censuris et calumniis modum aliquem poneret... Paullus Beorchia, collatis studiis

cum Carminatio, in publicam lucem denuo emittendum duxit opus ipsum Hermanni Busembaum, inscriptum — *Medulla Theologiae Moralis,* etc... — Breves operi ipsi annotationes subiectae sunt amplius centum; tum appendix addita, in qua, praecipua, quae circa morum scientiam hactenus a Sancta Sede prodierunt, et alia huc pertinentia continentur ».

8° *Probabilismus methodo mathematica demonstratus, auctore P. Pithanophilo,* (idest P. Fr. IEREMIA a Patavio ex Ordine Franciscalium.) Editio altera. Iriae, typis Caesaris Giani, M. D. CCC. XL. pag. 216 in 8°.

9° *Ioannis Baptistae Faure e Soc. Iesu Dubitationes Theologicae de iudicio practico, quod Sacramenti Poenitentiae administer certis in adiunctis formare sibi potest.* Lucani, typis Francisci Veladini et Soc., MDCCCXL. pag 78 in 8°. Prooemium Carminatius conscripsit.

10° Beorchiae videtur etiam tribuenda huius operis editio: — *Andreae Hieronymi Andreucci e Societate Iesu. Dissertatio theologica de recidivis...* Lucani, typis Veladini et Soc. M. DCCC. XLI, pag. VIII-26 in 8°. Prooemium Carminatius composuit.

Haec porro sunt opera edita; inèdita vero haec alia:

A. *Bibliotheca Scriptorum Societatis Iesu.*
De hoc opere in elogio auctoris satis dixi.

B. *Bibliotheca Scriptorum Utinensium* (in 4°).

C. *Biblioteca bibliografica varia* (in 4° pp. 72).

NOTA

(1) Iuvat referre ipsa verba Sommervogelii, quae latine interpretati sumus paullo liberius, quamquam in idem recidunt: « Ce travail *(Bibliotheca Scriptorum Societatis Iesu)* a un véritable valeur..... il dénote dans son auteur un véritable bibliographe ». SOMMERVOGEL *Bibliothèque de la Compagnie de Jésus.* Vol. I, col. 1318.

VI.

NATALIS SANTINI

In lucem editus est Novariae in suburbio, cui a Sancto Martino nomen, anno christianae salutis MDCCCXIX, atque inter Societatis nostrae alumnos exceptus Cherii, annos natus unum et viginti. Quod in patrio collegio Gallarinio, cui sodales nostri praeerant, curriculum litterarum, plurima ingenii et sollertiae commendatione, metitus erat, idcirco, illud ipsum, uti apud nos moris est, non est remensus; sed, tirocinio pietatis nondum expleto, quod nempe aetate iam provectior erat, et pius in exemplum, confestim in collegium Iriense missus est, grammaticam puerulos docturus. Hinc post annum Taurinum venit, et philosophiam biennio recoluit. Subinde Iriam regressus, litteras, quae ab humanitate nomen inveniunt, pari annorum spatio, egregie tradidit. Dein Nicaeae et Genuae rhetoricam est professus; et utrobique exspectationi, quam excitaverat, cumulate satisfecit. Post haec, ob turbas hominum factiosorum, quae anno MDCCCXLVIII in nostram Societatem sunt commotae, sacerdotio propere initiatus, in Sabinos se recepit, ibique sacrorum alumnos rhetoricam edocuit. Sub exitum anni insequentis, sacram theologiam, Romae in Athenaeo Gregoriano est auspicatus, eandemque Lavallii apud Gallos explevit. Laetii demum tertium pietatis annum exegit.

Haec huius praeclari viri auspicia fuere; quo etiam tempore, complura opuscula, vel pietati, vel litteris fovendis, in lucem

emisit, quibus non mediocrem sibi famam effecit. Exeunte anno MDCCCLV, in Italiam revocatus, in vicinia Massae-Ducis, in domo nostrae Societatis, cui Querquetulana nomen erat, nostris iunioribus rhetor obtigit; quibus ad sinceros politioris litteraturae fontes deducendis, egregiam operam impendit. Itaque iis omnibus rhetorem praestantissimum se comprobavit. Erat enim longo studio atque usu latine, graece, gallice, atque italice ut qui maxime excultus, ac praecipue Dantis Aligherii poëmatis divini multo studiosissimus, in primisque peritus. Easdem litteras postmodum in Collegio Massae-Ducis est professus, ibique quattuor sollemnibus religiosae professionis votis Deo se mancipavit. Hinc digressus, Neapolim in Nostrorum collegium se contulit, et adolescentes alumnos, suasor et magister pietatis, tanta suavitate ac vigilantia ad omnem religionis ac morum honestatem effinxit, ut laborum suorum fructus minime poenitendos perceperit.

At Santinii in rempublicam religiosam et litterariam merita potiora in posterum exstitere. Etenim, ut opera omnia Sanctae Teresiae, Virginis Carmelitidis hispanae, italice verteret, anno MDCCCLX, Pictavium in Galliam primum est profectus, quo nova studia cum P. Marcello Bouix, qui eadem opera gallice reddiderat, plenius conferret. Dein in Hispaniam ipsam, exemplaria autographa consultum ivit. Ibi omnia interpretationis subsidia sibi paravit; at versionem, optimis coeptam auspiciis, ad exitum perducere non potuit. Enimvero, quum operum pleraque eiusdem Virginis, quae maiora appellantur, italica fecisset, atque in eo esset, ut in Italiam reverteretur, ubi cetera absolveret, eaque omnia in vulgus emitteret, diutina laboris contentione, et insolenti regionis aestu, defectus viribus, naturae legibus cessit Matriti, tempestate praepropera, annum agens videlicet XLIII (1).

Vir ingenio praeclaro, doctrina singulari, et subacta virtute, id unum perpetuo adlaboravit, ut Dei gloria et vulgi salus antiquiorem apud se locum haberent, easque omni ope provehere studuit. Quibus virtutibus effecit, ut et suum ipse nomen longius in posteros produceret. Eius religionis studium, gesta scriptaque omnia, et versionem praesertim operum Sanctae Teresiae, Camillus Mella, qui hanc ipsam supplevit, aliique viri, tum pie-

tate, tum doctrina praestantes, summis laudibus extulerunt (2). Nam Santinius praeterea, ad eandem versionem illustrandam, suppellectilem litterariam copiosissimam reliquit, qua postea idem Mella editionem suam locupletavit. Iunior adhuc apud homines litteratos plurimi est factus. Ex his compellare sufficit Antonium Brescianium, qui litteris italicis, vertente seculo XIX, unus omnium maxime floruit. Hic itaque Santinio adolescenti plurimum tribuit, ei triginta annos minori nato suos de Sardorum moribus dialogos eruditos et concinnos dignoscendos tradidit; eosdemque, ut pulcre et emendate ederentur, eius curae commisit (3). Igitur Santinius eo flebilior exstitit, quo maturius decessit. Breve admodum, at oppido elegans hominis elogium conscripsit Camillus Mella in prolegomenis memoratae versionis, quem scriptorem praecipuum secuti sumus.

OPERA EDITA ET INEDITA

1° *Vita di Girolamo Mazzola alunno del Seminario d'Arona, e Novizzo della Compagnia di Gesù in China.* Torino, per Giacinto Marietti, 1844, 18°, pp. 179.

2° *Storia d'Europa di Francesco Giambullari, con commenti e colla vita dell'Autore.* Parma, Fiaccadori, 1846-7, 8°.

3° *Avvenimento di Amedeo VII alla Signoria di Nizza.* Nizza, Società tipografica, 1847.

4° Camillus Mella in prooemio operis — *Istoria della propria vita di S. Teresa* — in brevi admodum elogio, quod de Santinio composuit, haec ait: « Stampò e illustrò in servigio dei giovani varii classici, e tra gli altri il Giambullari, lavoro onorato da più ristampe... e dettò varii libretti divoti e alcuni versi, che il mostrano vero poeta » (pagina IX, note).

A. Sommervogelius in — *Bibliotheca S. I.* — haec de Santinio scribit: « Il commença la traduction italienne des Œuvres de Sainte Thérèse; celle de la Vie de la Sainte écrite par elle-même, semble être de lui ». Porro Camillus Mella, qui eandem Vitam sermone italico donavit, aperte fatetur, huius Vitae versionem nullo prorsus modo in Santinii schedulis repertam esse. Quae itaque versio est edita, non Santinio sed Mellae est tribuenda (4). Alia de hoc argumento videsis in elogiis Camilli Mellae et Aloisii Mereae, quae in hoc libello reperies.

Quae opera Sanctae Teresiae Santinius italica fecit, ita inscribuntur: (5)

1° *Libro delle Fondazioni.*

2° *Libro delle Esclamazioni.*

3° *Castello interiore.*

Camillus Mella hanc Santinii versionem edere cogitabat, sed postea, meliore usus consilio, ut integrae interpretationi idem color inesset, novam ipse eorundem operum versionem confecit (6).

NOTAE

(1) In *Bibliotheca (Scriptorum) Societatis Iesu,* a Sommervogelio iterum edita, relatum invenies (vol. V. col. 973) Santinium in Italia obiisse post reditum ab Hispania. Sed eodem in opere (vol. VII, col. 599) legimus eum Matriti vita excessisse. Hoc postremum accidit reapse.

(2) *Istoria della propria vita di Santa Teresa...* dal P. Camillo Mella d. C. d. G. Modena, Tip. dell'Immacolata Concezione MDCCCLXXI; pag. XVIII.

(3) Hoc eruitur ex epistola P. Antonii Brescianii ad Santinium missa, et nondum edita, quam equidem inter schedulas papyraceas P. Santinii inveni, et apud me religiose asservo.

(4) Consulesis — *La Civiltà Cattolica* — Serie ottava, Vol. VI, pagg. 44 e 164.

(5) Idem, item, ut in nota superiore.

(6) *Libro delle Fondazioni di Santa Teresa,* tradotto e illustrato dal P. Camillo Mella d. C. d. G. Modena, tipografia pontificia ed arcivescovile dell'Immacolata Concezione editr. MDCCCLXXIV. Avvertenza degli Editori.

TIBERIVS SAGRINI

VII.

TIBERIVS SAGRINI

Fori-Cornelii in Aemilia est ortus parentibus honestissimis, anno christiano MDCCCVI, atque inter tirones nostrae Societatis cooptatus, anno aetatis vicesimo, Romae ad Sancti Andreae in monte Quirinali. Tirocinio exacto, quod erat litteris excultus plurimum, Augustam Taurinorum illico est missus, ut rem grammaticam doceret, idque muneris quadriennium egregie explevit. Poësi, praesertim vernacula, admodum delectabatur, et carmina perpulcra ex tempore fundebat (1). Porro, quo divini verbi praeco optimus evaderet, artem oratoriam impensius didicit. Quod in patria, antequam inter nostros sodales adscriberetur, philosophos iam audiverat, idcirco litterarum tradendarum curriculo expleto, Genuae ad sacram theologiam perdiscendam animum appulit, et sacerdotio est insignitus.

Hinc Novariam est accitus, ut divini verbi pabulo christianam plebem reficeret, et quam artem studiosius coluisset, in hac extemplo se exerceret. Itaque oratoris munus adgressus, facundiam suam apud Novarienses luculenter comprobavit. Exinde Genuae, et Augustae Taurinorum iterum iterumque est concionatus, adeo ut eloquentiae fama apud Subalpinos et Ligures maxime claruerit. Taurinenses diutius eum in templo Sanctorum Martyrum amplissimo, nobilissimoque, perorantem audierunt, suspexeruntque. Illud inibi memoratu dignum. Petrus Alexander Paravia, iader-

tinus, vir fama notissimus, et in regio athenaeo taurinensi eloquentiae tradendae doctor decurialis, finem praeceptionibus impositurus, discipulis intenta ora tenentibus: « Accepistis modo, inquit, quae optimi cuiusque oratoris sint partes. Reliquum est, ut Sagrinium, eas omnes in templo Sanctorum Martyrum cumulate explentem, conveniatis auditum ». Hisque dictis, e ludo discessit.

Anno MDCCCXLVIII, ob magnam illam calamitatem, quae nostram Societatem in Subalpinis penitus subvertit, Sagrinius Genua profectus, primum Bononiae apud amicos, dein Florentiae apud gentem Ricasolianam, antiqua nobilitate et religione clarissimam, aliquot menses delituit. Postea in Helvetiam se proripuit. Rebus in Italia quacumque demum ratione compositis, Romae, in aede Iesu Nomini dicata, christianam plebem statis concionibus erudire coepit. Deinde per vices, Mutinae, Venetiis, Veronae, Mediolani, Induni, Bastiae in Corsica, et Florentiae constitit; atque in his, aliisque praecipuis Italiae urbibus, verba e suggestu ad populum habens, ubique auditorum animos magnopere commovit. Ad ultimum Augustam Taurinorum se contulit in domum cuiusdam equitis Mauritiani, quicum erat familiariter coniunctus, ut exinde Cuneum per quadragenarium ieiunium concionaturus contenderet. At enim, quum in eo esset, ut sub noctem cubitum iret, et horologium e crumena extractum denuo pro more intenderet, apoplexiae ictu perculsus, momento occubuit. Annum agebat aetatis undesexagesimum, a solemni religiosa professione tertium et vicesimum.

Cum Ferdinando Mininio, Societatis nostrae oratore clarissimo, qui vertente saeculo XIX, praecipuas Italiae urbes concionando perlustrabat, sacrae eloquentiae principatum tenuit, ut neuter neutri concedere visus sit. Uterque enim non auribus inserviebat, neque verbis speciosa, re inania captabat; sed Divinorum Librorum, Sanctorum Patrum, Ecclesiasticae historiae auctoritate, et humanae rationis argumentis innixus rem totam conficiebat. Quamquam vero ambo cunctis civitatibus acceptissimi exstabant, tamen Taurinenses Sagrinio (2), Genuenses Mininio magis delectabantur. Cuius rei causam in Mininii elogio opportunius infra explicabimus.

Neque minus Sagrinius incenso religionis studio, quam animi demissione enituit. Ad hoc ea fuit in omnes comitate, ut, si quando opinionum dissensio intercederet, animorum consensio non interciperetur. Enimvero, cum olim Augustae Taurinorum in templo Sanctorum Martyrum, confertissima hominum corona adstante, luculentissimam orationem habuisset de discrimine inter caritatem christianam, atque illam, quam recens philosophorum vulgus philanthropiam appellat; ac nonnulli viri primores, quos ne nominaverat quidem, eius verba, quamvis recte sancteque prolata, gravate admodum tulissent; nihil praetermisit, quin extemplo cum iis in gratiam rediret. Itaque est pollicitus se, in concione proxima insequenti, palam pronunciaturum, eos, in quorum offensionem contra votum incidisset, nulla prorsus ratione inter *philanthropos* esse habendos; quandoquidem se Christi caritatem sectari profiterentur. Porro hunc exitum res habuisset, nisi quae secreto pacta erant, statim contra datam fidem in vulgus didita essent. Itaque quum ingens atque insolens hominum omnigenum concursus ad sacram aedem esset factus, ut, quod aiebant, Sagrinium palinodiam canentem cachinnis exciperent; hic moderatorum suorum iussu, qui eum culpam elevare, nedum fateri, quam non admisisset, idcirco prohibuerunt, in novam orationem ingressus, nihil omnino de iis attigit, quae in praecedenti protulerat, atque incredibili adversariorum stupore ac pudore, rem totam silentio pressit (3).

Eius conciones, elocutionis elegantia, argumentorum vi, sententiarum delectu, et nexu, quo omnia sibi perpetuo constant, atque in unum coalescunt, a concionibus Pauli Segnerii Senioris non longe abesse censentur. At vero in ciendis affectibus ab iisdem plurimum distant. Ad hoc enim Sagrinius a natura parum comparatus erat (4).

OPERA EDITA

1° *Prediche morali del P. Tiberio Sagrini della Compagnia di Gesù.* Torino, Cav. Pietro Marietti, 1872-1873, 8°, 4 vol., pp. 519, 442, 567, 530.

Sodalis nostrae Societatis, qui hanc editionem curavit, laude quidem est dignus, quod apto et copioso prooemio eam exornavit; quod vero illas conciones non expunxit, in quibus multa inveniuntur ab oratoribus gallis partim deprompta, minime est probandus. Nam Sagrinius, qui ea quae sua erant non edidit, aliena, perinde ac si sua essent, procul dubio editurus non erat (5).

2° *Discorso sul Dogma dell'Immacolato Concepimento di Maria.....*

NOTAE

(1) Ut lector noverit quantum Sagrinius ad carmina ex tempore fundenda valeret, et rem gratam non solum poëtis, sed etiam historiae cultoribus faciam, duo epigrammata (italice Sonetti) in medium proferam, quorum unum, anno MDCCCXLVII, ab auctore ignoto, impositum est noctu Augustae Taurinorum foribus Collegii S. I. ad SS. Martyres; alterum vero a P. Tiberio Sagrinio est confectum, ne priori sua responsio deesset. Equidem utrumque carmen accepi a P. Francisco Salis-Seevis, qui eadem in urbe, eodemque anno, in nostro Collegio, cui nomen a Carmelo, litteris operam dabat.

PROSOPOPEA

della Compagnia di Gesù.

D'un soldato son figlia; odio la pace;
Crebbi fra l'armi, e ho la pietà sbandita;
Fummi già madre una crudel ferita,
Onde la morte, e il sangue altrui mi piace.
Son barbara, son cruda, son rapace,
E nell'armi avvezzai l'alma infierita;
E se pur tra i perigli io resto in vita,
Porto ovunque men vado e ferro e face.
Non conosco altro Dio, che il proprio orgoglio;
Le stesse monarchie son per me dome,
E con l'ipocrisia fo quel che voglio.
Deludo il mondo ognor, non si sa come;
Compagnia di Gesù nomar mi soglio,
E non ho di Gesù, che il solo nome.

RISPOSTA

del P. Tiberio Sagrini.

D'un soldato son figlia; eppur la pace
Porgo ai cuori, che l'han da sè sbandita,
E a chi m'impiaga di crudel ferita
Dono il bacio d'amor, che sol mi piace.
L'Indo, il Paràvo, il barbaro rapace,
Che ai delitti già avean l'alma infierita,
Per me tra boschi e selve ebber la vita,
Chè lor portai di verità la face.
Esser per Dio calpesta è sol mio orgoglio;
E se in tal lotta le mie forze dome
Saran per gloria sua, è quel che voglio.
M'ama il Mondo e m'abborre, e non sa come
Non istupir; d'un Dio sprezzato io soglio
Portar la legge in bocca, e in fronte il nome.

(2) P. Franciscus Pellicus in opere, quod adversus Vincentium Giobertium edidit Genuae anno MDCCCXLV, haec de Sagrinio scribit: «... Uomo dotto e di rara prudenza, il cui ragionare pieno di moderazione e di zelo santo,... riceve giusta testimonianza da' Torinesi, che accorrono da sei anni ad udirlo in pulpito, o a consultarlo in privato». pag. 14.

(3) Videsis — *La Chiesa in Piemonte dal 1797 ai giorni nostri* del Teologo Tommaso Chiuso, Canonico della Metropolitana di Torino. Torino, Giulio Speirani e Figli, tipografi editori, 1888. Volume terzo. Capo IV. paragrafo XX. — Vide etiam *A V. Gioberti Francesco Pellico.* Genova, Tipografia Ferrando, p. 14.

(4) Quae de Sagrinio narravimus, ex tabulario prov. Taurinensis excerpsimus, vel ab eius sodalibus accepimus.

(5) Sunt qui putant Iosephum Boerum Sagrinii concionum editionem curasse. Id nos satis exploratum non habemus.

VIII.

ALOISIVS BADO

GENUAE, nobili in urbe, vita frui coepit anno reparatae salutis MDCCCXIII. Elegantis ingenii adolescens, bene moratus, et pietati apprime deditus, divina humanis anteferens, Societati Iesu se applicuit Cherii in Taurinis, paucis post mensibus quam Provincia Taurinensis S. I. a Provincia Romana seiuncta erat. Pietatis tirocinio nondum plane confecto, Isaïae Carminatii, rhetoris praeclarissimi, ludum ingressus, quamquam breve admodum tempus eius sub auspiciis litteras recoluit, maximos tamen progressus effecit. Erat enim in eo, tum latini et italici, tum graeci sermonis exquisitus ab ipsa adolescentia sapor, una cum priscorum auctorum notitia copiosissima; atque adeo doctrina aetatem antevertit.

Sassari in insula Sardinia litteras honestiores docuit; easque postea Cherii iunioribus suae provinciae ita tradidit, ut optimi praeceptoris munus cumulatissime absolverit. Nam hac in urbe, sexennium rhetoricam professus, complures ad humanitatem informavit, qui postmodum magnopere in litteris innotuerunt. Hos inter, honoris ergo, compellare libet Ioannem Iosephum Francum, et Camillum Arborium Mellam. Genuae Theologiae quadriennium operatus, et sacerdotio auctus, Romam est profectus, ibique alterum, pro nostris moribus, pietatis tirocinium exegit. Subinde in collegio Albertino Genuensi scholis moderandis prae-

fuit. Hoc munere sollertissime est functus; siquidem nihil intentatum reliquit, ut nova recentiorum inepta quaedam docendi ratio, quae iamtum in alienis scholis imperitabat, in nostris nullum locum haberet.

Anno MDCCCXLVIII, ob notas rerum civilium conversiones, subversionesque, sodalibus taurinensibus hac illac dispalatis, in Sabinos perfugium quaesivit. Hoc ipso anno, quattuor sollemnia religionis vota nuncupavit. Post haec Romae in templo domus, quam Professam vocamus, Sacros Libros est interpretatus, atque in Athenaeo Gregoriano theologiam moralem, cuius scientissimus exstabat, biennium explanavit. Hinc digressus, in collegium Massae-Ducis, et postremo Genuam in nostram stationem se recepit; ibique, alibique sacris concionibus, vel piis Sancti Ignatii Patris legiferi commentationibus, tum clero, tum populo tradendis, reliquum vitae spatium contrivit. Per id etiam tempus munus consultoris Provinciae obiit.

Itaque Badus, quum tot egregiis muneribus fungendis idoneus esset, eaque omnia in exemplum expleret, plurimi a piis non modo, sed a litteratis hominibus est habitus. Hos inter Antonius Brescianius exstitit praecipuus. Hic enim, si quis eum de optimo praeceptore, in cuius fidem ac disciplinam se traderet, percontaretur, Badum, uti virum iuventutis instituendae, doctrina, usu, et singulari naturae munere peritum, illico nominabat(1). Equidem, post Isaïam Carminatium, Badi magistrum, quo non praestantior alter, nullum alium nostrae provinciae rhetorem novi, quem auditores tot laudibus cumulaverint. Qui praeterea orator est habitus probabilis, atque, ob theologiae morum scientiam, ab Episcopis certatim expetitus. In poësi, praesertim vernacula, admodum versatus fuit.

Neque minus pietate valuit. Cultum erga Magnam Dei Matrem, qui, praesertim mense Maio vertente, eidem a Christifidelibus impenditur, aluit, fovit, et ubique instauravit tanto studio, ut uberrimos exinde animarum fructus retulerit. Strenuus Christi miles, nullis unquam laboribus pepercit, neque valetudinis rationem habuit, ut christianam plebem ad rectum salutis iter traduceret. Itaque, tum doctrina, tum religione claruit; clariorque evasisset, si diutius superfuisset. Nam firmo adhuc aevo, diem supremum obiit Genuae, annos natus quinque et quinquaginta (2).

OPERA EDITA

1° *Grammatica italiana nuovamente compilata.* Torino, per Giacinto Marietti, 1840, 12°, pp. 152. (Bis edita).

2° *Canzoniere Mariano di Luigi Bado d. C. d. G.* Genova, presso Antonio Bettolo. Tipografia Pallas, 1841, in 8° ff. 2, pp. 138. (Romae etiam editum).

3° *Poesie italiane e latine con saggio di traduzione dal greco.* Genova, Tip. Ponthenier, presso Pietro Rattin, 1846, 32°, pp. 320. (Haec carmina P. Piancianius prooemio instruxit). Auctor Petrarcam et Anacreontem italicum, scilicet Victorellium, conatus est imitari. Eius stylus plerumque nitet; itaque lector paucis maculis offendi non debet.

4° *Anthologia gracca, seu Graecorum Scriptorum prosa oratione excmpla selecta in usum Scholarum Soc. Iesu.* Editio Stereotypa. Taurini, Ex Typographia Hyacinthi Marietti, 1842, 8°, pp. XII-324. — *Anthologia... versa oratione...* (ut supra). — Hoc opus saepius est editum, aut integrum, aut in partes divisum pro singulis classibus scholarum.

5° *La Madre del Bello Amore. Meditazioni in Apparecchio alla Festa del Sacro Cuore di Maria SS., proposte alle persone religiose da un Sacerdote della Compagnia di Gesù.* Torino, Giacinto Marietti, 1842, 18°, pp. 146. Editum est iterum iterumque, titulo aliquantulum immutato.

6° *R. P. Ioannis Polanci Societatis Iesu, Directorium breve ad Confessarii et Confitentis munus rite obeundum.* Genuae, Como, MDCCCXXXXIIII, 16°, pp. 120. (Badus prooemium scripsit).

7° *La Fede propagata nel Secolo XIX. Trattenimento Accademico per la Solenne distribuzione dei premi nel R. Collegio di Genova, il giorno XIX Agosto MDCCCXLIV.* Genova, Tip. Ferrando, 8°, pp. 13.

8° *La Scuola del divino Amore, aperta nel Sacro Cuore di Gesù. Meditazioni per la Novena, e per l'ottava di esso SS. Cuore, e per tutti i Venerdì dell'anno. Operetta del P. Luigi Bado della Compagnia di Gesù.* Torino, per Giacinto Marietti, 1845, 16°, pp. 374. (Quinquies editum).

9° *Fatti atroci dello Spirito demagogico negli Stati romani. Racconto*

estratto da' processi originali. Firenze, Tipografia di Gio. Batt. Campolini, 1853, 4°, pp. 392 (3).

10° In Ephemeridibus — *La Civiltà Cattolica* — Serie Prima, Volume VI, p. 580-587, exstat, a Bado conscripta, accurata atque erudita recensio huius operis: « *Theologia moralis universa, Pio IX Pontifici Maximo dicata, Auctore Petro Scavini Vic. Gen. etc. Editio IV, Novariae, 1851, 5 vol. in 8°* ».

NOTAE

(1) *Lettere famigliari erudite e descrittive del P. Antonio Bresciani d. C. d. G.* Roma, coi tipi della *Civiltà Cattolica,* 1869. Lettera 553. — En verba Brescianii: « Avete ora in Genova l'uomo che vi bisogna. Cercate al collegio « reale del P. Bado, che in buon gusto e in precisione non ha pari; egli ac- « coppia a grandi lettere animo cortese e paziente. Visitatelo a mio nome, e « pregatelo di leggere i vostri quaderni prima di consegnarli alle stampe ».

(2) Ex Tabulario Prov. Taur. Soc. Iesu, et privatis notitiis Badi elogium confeci.

(3) « In questo libro poco conosciuto con istile vibrato e con piena veracità si smaschera la rivoluzione italiana e si mettono in tutta la loro luce le famose geste dei Mazziniani ». (Ex libro, qui inscribitur — *Memorie storiche intorno al P. Luigi Ricasoli e alla Compagnia di Gesù in Toscana, raccolte dal P. Pietro Galletti della medesima Compagnia.* Prato, Tipografia Giacchetti, Figlio e C. 1901, p. 269,).

FERDINANDVS MININI

IX.

FERDINANDVS MININI

Placentiam patriam habuit (1), anno a Iesu nato MDCCXCVI. Vicesimum aetatis annum quum attigisset, nostrae Societati se applicuit Genuae, ibique tirocinium pietatis posuit. Anno MDCCCXX, Novariae, in collegio Gallarinio rhetoricam tradidit; et in arte poëtica, quam probe callebat, egregium ingenii periculum fecit. Inibi discipulum habuit Iosephum Regaldium, qui, in carminibus italicis ex tempore fundendis, cum ipso Mininio praeceptore saepenumero certavit; eoque duce, tantopere hac in arte profecit, ut deinceps clarissimum sibi nomen tota Italia comparaverit. Eodem in collegio Mininius, una cum P. Piancianio, specimen academicum exhibuit, quo eius discipuli summis laudibus sunt prosecuti recens illud inventum, cuius opera currus, aqueo vapore acti, via ferreis axibus strata, celerrime impelluntur. Quod specimen postea Franciscus Pellicus Vincentio Giobertio peropportune commemoravit, ut ostenderet, nostrae Societatis alumnos recentiorum inventis neutiquam adversari (2).

Mininius Novaria Taurinum decessit, ut eandem disciplinam in collegio-convictu, cui nomen a Carmelo, profiteretur. Hoc loco nonnulla rerum adiuncta praestat interponere, quae Mininii famam ab ipsa adolescentia cumulaverunt. Per id potissimum tempus, in regionem subalpinam rhetores oppido delecti a nostris moderatoribus mittebantur, quod litterae politiores illic in praesenti

magis quam antea coli coepissent. Hos inter fuere Franciscus Manera, Carolus Grossius, Isaïas Carminatius, Henricus Nozzius, Antonius Angelinius et Petrus Barberius. Pari modo Antonius Brescianius, qui in litteris italicis principem locum obtinebat, per longum admodum tempus in provincia taurinensi est versatus. Qui omnes praestantissimi a cunctis quum haberentur, nihilo tamen secius Mininius adeo et ipse praestare est visus, ut inter praecipuos adnumeratus sit. Itaque eius ab urbe Taurino discessum omnes litterarum cultores molestissime tulerunt, et Viottius eques, regii Athenaei censor, qui eum prae caeteris diligebat, magnis ob hanc causam querelis Nostrorum aures implevit (3).

Hinc Mininius Romam est vocatus, ut, theologiae curriculum emensus, sacerdotium iniret. Quo inito, iterum rhetoricae tradendae complures annos in Collegio Romano, et alibi, animum adiecit; et Ioachimum Peccium, qui postea ad summum Pontificatum evectus est, discipulum habuit. Porro, ut incommodum a Taurinensibus acceptum sarciretur, non modo Taurinum denuo est missus, sed etiam in Provinciam taurinensem, quae a romana disiuncta erat, perpetuo est cooptatus. Nihilominus hanc in urbem est regressus, non ut rhetorem, sed, quod pluris est, ut oratorem ageret. Quo in munere eius virtus clarior ac testatior esse coepit; siquidem ad artem bene dicendi non minus exercendam, quam tradendam, a natura institutus erat. In templo Sanctorum Martyrum diu statis diebus ad populum pro suggestu verba fecit, et anno MDCCCXLIII, a Carolo Alberto rege est adlectus, qui in maximo Augustae Taurinorum templo, per ferias quadragenas ieiunio sacras, concionaretur. Utrobique, magno animi ardore, et sententiarum delectu, ad confertissimam multitudinem sermonem habuit. Cum Tiberio Sagrinio, qui, prouti supra in huius elogio attigimus, per idem tempus, divini verbi praeco eloquentissimus exstabat, sacrae eloquentiae principatum obtinuit, ut, uter utri praestaret, in ancipiti poneretur. Ita factum est, ut doctores eidem eloquentiae tradendae in Ephebeo Taurinensi, cui nomen Convictus Ecclesiasticus, uterque adlegerentur.

Postmodum Genuam contendit; ibique nobilium matronarum coetum ad pietatem excoluit; iudicis extra synodum officium obiit; pia beati Patris Ignatii documenta clero explanavit; sacras lit-

teras publice est interpretatus, aliaque munia adiit, ut neminem e nostris sodalibus ea in urbe reperiri liceret, qui tot labores, quot Mininius, eosque gravissimos, una eademque tempestate, explendos susciperet. Genuensibus non minus quam Taurinensibus acceptus fuit, quin etiam magis. Nam Mininii facundia clara pollensque erat, et novum ac peregrinum quiddam sonabat; eiusque vocis modulatio, et gestus conformatio, ad Genuensium animos percellendos mirifice accomodata videbatur. In aliis etiam compluribus ac praecipuis Italorum urbibus eloquentiam suam probavit; et nemo unus exstitit, a quo magnopere non dilaudaretur (4). Itaque eius nomen per totam Italiam longe lateque vulgatum est, atque etiamnum plurimum viget.

Anno MDCCCXLII, collegio Iriensi regendo est praepositus, neque tamen ibi, alibique a concionando destitit. Sexennio post, quum sodales omnes nostrae provinciae solum vertere iussi essent, Placentiam apud suos se recepit; dein, re publica pacata, Romam venit, et in templo Farnesiano divinas litteras per longam annorum seriem est commentatus. Qua in urbe, totius orbis principe ac magistra, tanti est factus, ut qui bene dicendi artem auspicabantur, ad eum frequentissimi accederent, vel ut oratorem audirent, vel ut rhetorem consulerent. Anno MDCCCLXX, ibidem vita est functus, et maximum sui desiderium apud omnes reliquit. Quattuor sollemnia vota emiserat anno MDCCCXXX.

Eius conciones necdum sunt collectae, neque in ordinem digestae, ut posteritati consignentur. Tamen nonnullae, eo vivo, sunt evulgatae, itemque aliae eiusdem opellae, at sparsim (5).

OPERA EDITA

1° *Sermone di S. Caterina di Genova.* Genova, tipografia dei Fratelli Ponthenier, 1838, 8°.

2° *Orazione in onore del SS. Crocifisso.* Chiavari, 1841, 8°.

3° *Sermone recitato in Alessandria per la solenne coronazione del venerando simulacro di M. SS. detta della Salve, il giorno 29 Maggio dell'anno 1843,* 8°, pp. 17. Alessandria, tipografia Capriolo.

4° *Discorso in onore della S. Sindone detto in Torino nella Quaresima dell'anno 1843 dal P. Ferdinando Minini della Compagnia di Gesù.* Torino, per Giacinto Marietti, 1843, 8°, pp. 16.

5° *Per la festa di M. V. Lacrimosa, patrona della città di Novi, orazione recitata dal molto Reverendo Padre Ferdinando Minini della Compagnia di Gesù, nell'insigne Chiesa collegiata il giorno 5 Agosto 1844, Novi.* Tipografia di Giacinto Moretti, 1844, 8°, pp. 16.

6° *Per la Pia Opera della propagazione della Fede, orazione detta in Tortona dal Padre Ferdinando Minini d. C. d. G. l'anno MDCCCXLVI.* Genova, tipografia dei Fratelli Ponthenier, 1846, 8°, pp. 22.

7° *Orazione panegirica in onore di S. Carlo Borromeo recitata nella Basilica di S. Andrea in Vercelli, dal R. P. Ferdinando Minini della Compagnia di Gesù, il giorno 4 Novembre l'anno 1847.* Vercelli, tip. Guglielmone, con permissione, 8°, pp. 30.

8° *Cenno necrologico del Canonico Arciprete Iacopo Appiani d'Aragona, marchese di Piombino.* Piacenza, dai tipi di Antonio del Maino, 1849, 8°, pp. 14.

9° *Discorso accademico sulla sacra eloquenza.* Piacenza, (ut supra) 4°, pp. XVI-24.

10° *Ai degni figli di Alfonso Maria de' Liguori questa piccola lode del loro gran padre offeriva Ferdinando Minini della Compagnia di Gesù in argomento di devozione e riconoscenza il dì 2 Agosto 1850.* 8°, pp. 23; Roma presso i Fratelli Pallotta.

11° *Esortazione domestica recitata nella casa de' Professi in Roma, il giorno 28 Giugno dell'anno 1853, primo del quattriduo in apparecchio*

all'elezione del nuovo Preposito Generale d. C. d. G. Roma, B. Morini, 1853, 8°, pp. 30.

Haec adhortatio agit de vita et virtutibus Ioannis Roothaan Praepositi Generalis demortui.

12° *Discorso I, recitato il giorno VI Agosto MDCCCLV, dal R. P. Ferdinando Minini d. C. d. G.;* p. 5-21 (in opella cui titulus) — *Orazioni panegiriche dette in Roma nel tempio S. Maria sopra Minerva...* Roma, Bernardo Morini, 1855, 8°.

13° *Elogio funebre di sua Eccellenza il Cavaliere D. Carlo d'Oria Pamphili recitato dal P. Ferdinando Minini d. C. d. G. nella Ven. Chiesa di S. Giacomo in Augusta, il giorno XI Luglio d. a. MDCCCLVI.* Roma, dalla tipografia di B. Morini 1856, 8°, pp. 21.

14° *Orazione sopra la divina Provvidenza recitata nella V. Basilica Patriarcale di S. Pietro in Vaticano, il giorno II di Agosto dell'A. MDCCCLVI, dal P. Ferdinando Minini d. C. d. G.* Roma, presso Gio. Olivieri, tipografo dell'Università Romana, 1857, 8°, pp. 8.

15° *Il Padre degli Orfani.* (Roma, Pallotta, 1857) 8°, pp. 16. Sermone recitato in lode di S. Girolamo Emiliani il dì 20 Luglio dell'anno 1857.

16° *Cenni istorici intorno alla Vita dell'A. R. di Luigia Carlotta di Borbone, Infante di Spagna, Duchessa di Sassonia.* Roma, tipografia Salviucci, 1858, 8°, pp. 118.

17° *Memorie intorno la vita e gli scritti di Francesco De Maistre.* Roma, tipi della *Civiltà Cattolica,* 1863, 12°, pp. XI-191.

NOTAE

(1) In *Bibliotheca (Scriptorum) Soc. Iesu* invenies, Mininium natum esse Taurini. Atqui Placentinus fuit, uti constat ex tabulario Prov. Taur. S. I.

(2) *A Vincenzo Gioberti Francesco Pellico*. Genova, tipografia Ferrando, 1845, pagina 23, in nota.

(3) Ex tabulariis Soc. Iesu.

(4) *Lettere famigliari..... del P. Antonio Bresciani.....* Roma, ufficio della *Civiltà Cattolica*. MDCCCLXIX. Lettera 167. Iuvat referre ipsa Brescianii verba de Mininio: « ..... Uomo che a molta e soda eloquenza accoppia modi gentili e dottrina non comune » .

(5) Nullam de Mininio memoriam conscriptam habui ob oculos in hac exaranda. Ex nostris tabulariis, ex notitiis sparsis hac illac, tum etiam e privatis narrationibus sodalium, hanc equidem confeci.

X.

FRIDERICVS TORNIELLI

Hic inter sodales provinciae Taurinensis, vitae sanctitate, unus maxime praestitit. Aequum est igitur, quandoquidem ceteris virtutibus praestat religio, potiore eum elogio prosequi. Atavis clarissimis prognatus, Molare in oppido Montisferrati vitam iniit, pietatemque, ceu iure hereditario, a maioribus accepit. Etenim in gente Torniellia, quae a Novariae dynastis originem ducit, viri sanctissimi complures floruerunt, quorum octo numero ad Beatorum Caelitum honores sunt evecti.

Eximiae indolis adolescens, ad cuius generis amplitudinem summa innocentiae laus accedebat, Genuam in collegium Sodalium a Somascha est missus, ubi et litterarum ornamento honestaretur. Disciplinis philosophicis in maximo eiusdem urbis athenaeo mentem addidit; ibique condiscipulum est nactus Iosephum Mazzinium, qui tum temporis adolescens optimae spei exstabat; at deinceps tantopere impietatis nomine innotuit, quantopere Torniellius pietatis fama claruit. Idem Mazzinius, iam matura aetate, Massiliae quum esset, exemplar ephemeridum, quas evulgandas susceperat, quasque inscripserat « *La Giovine Italia* », ad Torniellium, qui Calari degebat, mittendum curavit. Porro hic, quo res valeret odoratus, et hominis audaciam impietatemque exsecratus, nefaria scripta e vestigio igni comburenda proiecit.

Humanae philosophiae placitis auditis, divinae Sapientiae

monitis et consiliis parere maluit. Itaque, spretis opibus, quibus domi affluebat, atque honoribus posthabitis, quos generis claritudo ei pollicebatur, nostram Societatem est ingressus Genuae, aetatis suae anno undevicesimo. Ab ipsis religiosae vitae rudimentis, nihil sibi in pietatis curriculo ad celeritatem reliqui fecit; nec pedetentim et gradatim, sed citato cursu, stadium virtutis metiri instituit. Tum minores, tum maiores natu, eum omnes ad unum mirabantur; Angelum nomine adpellabant, atque, uti exemplar ad intuendum et imitandum, sibi ob oculos ponebant. Ibidem, et postmodum etiam Romae, litteras elegantiores, ac Ferrariae philosophiam recoluit. Hinc Calarim profectus, grammaticam puerulis explanavit. Qua in urbe, ob pietatem animi, atque oris modestiam singularem, Aloisius Gonzaga passim nuncupari est coeptus. Gravissimo tentatus morbo, quod postea, tametsi convaluerat, tenui valetudine utebatur, annos omnino duos sacrae theologiae vacavit, et sacerdotio propere est initiatus.

Postero tempore, sacris concionibus vicatim habendis se penitus devovit. Ferrariae, Genuae et Iriae prima in hoc divinorum omnium divinissimo munere specimina exhibuit. Id Genuae fuit praestabilius. Homini poena capitali damnato, qui plurimis Dei ministris circumsistentibus, ac frustra rogantibus, delicti veniam a Deo exposcere pertinacissime recusabat, Torniellius ad ultimum occurrit, Deiparae effigiem ante oculos statuit; paucis ad rem adiectis, ut facti poenitens animi sordes in sacro Poenitentiae lavacro ablueret, facile persuasit, eumque Deo Creatori plane conciliavit.

In insula Sardinia, in quam denuo traiecerat, uberiora clarioraque pietatis monumenta reliquit. Ut primum in publicum prodiit, non iam Pater Torniellius, sed Pater Sanctus vulgo appellari coepit. Nam divino numine afflatus, ac paene abreptus, tanto animi, vultus, ac vocis ardore, multitudinem circumstantem alloquebatur, ut illum cuncti a sideribus inter mortales demissum arbitrarentur, quo eos a vitiis abstraheret, atque ad sempiternae salutis iter revocatos, recta ad coelum perduceret. Itaque nemo erat, quin, eo viso, auditoque, quo is vellet impelleretur. Templum suspiriis et singultibus passim insonabat; complures pectus decutiebant; admissa fatebantur publice, ac

veniam a Deo et a mortalibus expetebant. Alter in alterius amplexum ruebat pacem efflagitans; dissidia tollebantur, simultates dirimebantur; et odia veterrima, quae ad internecionem exarserant, momento exstinguebantur.

Incredibiles ad eum audiendum concursus hominum fiebant, ut templa, quamvis ampla, multitudinem confluentem capere nequirent; atque concio sub dio esset habenda. Neque ex tanta virorum ac mulierum copia reperiebatur qui illinc antea discedere vellet, quam conscientiae labes rite purgavisset. Itaque, non modo interdiu, sed etiam noctu, sacra Poenitentiae tribunalia aperta prostabant. Quippe Torniellius auditorum studia artibus omnino novis ac peregrinis commovebat, quibus ne obstinatissimi quidem animi obsistere possent.

Interdum, longo agmine facto, populum a sacra aede ad coemeterium urbanum ducebat. Quo cum ventum esset, Sacerdos elata voce inclamabat: « Ubinam sumus? » Cui ex adstantibus unus quum olim respondisset: « In domo nostra »: « Ita omnino, inquit Torniellius; quippe huc omnes cogimur. Nonne omnibus aliquando est pereundum? » Dein foveis excavatis, atque ossibus extractis, haec circumfusae multitudini ostentans: « Intuemini, inquit, quo nostrum quisque tandem sit evasurus. Pulvis et umbra sumus. Malefactorum igitur nos poeniteat; et quoniam potestas datur, animae saluti sempiternae consulamus ». Quibus auditis, in lacrimas unusquisque irrumpere, ac polliceri, se a vitiis temperaturum ac Dei imperata perpetuo facturum. Hoc idem in foro praestitit, in quo antiquitus civium exuviae inhumari, atque in praesenti choreae duci solebant. Nam solum effodi iussit, sepulcrisque detectis; « En, en, inquit, maiorum vestrorum cadavera. Super haec choreas plauditis. Cavete ne filii vestri, vel nepotes super vestra aliquando cadavera pedibus exsiliant ». Quibus verbis effecit, ut nemo ex illa ad hanc usque aetatem, eo in loco choreas nectere auderet.

Illud etiam moris habuit. Intendentibus se tenebris, vel die adpetente, ingens Iesu cruci affixi simulacrum in feretro stratum, atroque velo opertum, in publica via sistebat; mittebatque praecones, qui quaquaversus discurrerent, inclamarentque: « Heus, heus! Actutum accurrite, cives. Homo est interfectus! ». Com-

pluribus undique concurrentibus, et feretrum circumvenientibus, Torniellius, simulacro detecto, Iesum, Dei Filium, hominum barbaria caesum flagellis, spinea corona obductum, cruci suffixum, peremptum, et lancea transfossum enunciabat. Haud facile narraverim quantum hoc inopino spectaculo adstantium animi commoverentur, ut in clamores et eiulatus multitudo erumperet. Itaque, quos in sacris expeditionibus Torniellius uberiores fructus capiebat, huic potissimum consilio referre consueverat.

Eandem Iesu effigiem quum olim ad fores aedium hominis flagitiosissimi ac ferocissimi statuisset, eademque verba inclamari iussisset, hic repente, districto gladio, foras se proripuit, in eum acerrime animadversurus, qui ad domus suae limen hominem conficere ausus esset. Percontanti vero quisnam tanti sceleris auctor fuisset, Torniellius, effigie retecta, brachioque extenso: « Tu es, inquit, ille vir ». Qua voce ille confestim, veluti fulmine perculsus, ferocitatem exuit, seque, instar agni, Torniellio docilem exhibuit.

Avarus temporis aestimator, nullum horae articulum sibi elabi sinebat, quin piis in operibus insumeret. Milites in stativis degentes divini verbi pabulo reficiebat; aegrotis, vel in domibus privatis, vel in nosocomiis iacentibus frequentissime assidebat; carceribus detentos, vel damnatos ad remos invisebat, comiter alloquebatur, et quo eorum animos sibi facilius demereret, et vehementius concuteret, eorum se catenis vinciebat, perinde ac si homo nequissimus esset, et dignus, uti aiebat, qui inferorum tortoribus plectendus traderetur. Profugos, homines desperatos, atque ad omne nefas paratissimos, in cavernis et montium latebris, ac silvarum abditis, vitam legibus solutam agitantes, diligentissime conquirebat, compluresque ad bonam frugem reduxit.

Quamquam tot laboribus interdiu paene obruebatur, tamen et noctu in opus incumbebat. Enimvero, rogatus olim ab amicis, ut in parva insula Sancto Antiocho, ad cuius oras eum, dedita opera, nocte iam subeunte, transduxerant, concionem vulgo habere vellet, tametsi nullam ibi domum, nulla mapalia, et hominem nullum, praeter ductores, animadvertebat, tamen extemplo coeli stellas, pelagi fluctus, montes superimpendentes, atque adeo noctem ipsam contenta voce compellare coepit, et hortari, ut Deo

rerum potenti, qui omnia e nihilo eduxisset, gratias agerent. Tum vero, eo nec opinante, innumerabilis virorum, mulierum, ac puerorum multitudo, undique e terrae latebris exoriri coepit, ut si tellus sua sponte homines pareret. Obstupuit visu Torniellius, rei novitate perculsus; et illis ipsis propius accedentibus, de divina bonitate et clementia orationem habuit vehementissimam. Qua, non sine magno eorum fructu, ad exitum perducta, cuncti in terrae latibula, cuniculosque, in quibus ferarum more abditi, quietem capere consuessent, ictu oculi denuo se receperunt.

His rebus est effectum, ut Torniellius singularem virtutis opinionem apud omnes sibi pareret, atque ore concordi Sardiniae Apostolus vocaretur. Quam ob causam Carolus Albertus Sardiniae rex, quum ab Antonio Brescianio, qui ea tempestate sodalibus provinciae taurinensis praeerat, eius res gestas rescivisset: « Satius est, inquit, ad Sardiniam in officio continendam, duodecim non dissimiles Torniellio homines illuc mittere, quam decem probatorum militum legiones ».

Bis senis annis elapsis, quibus Torniellius in Sardinia ad pietatem excolenda tot labores exantlaverat, paene defectus viribus, in continentes terras a suis moderatoribus est revocatus, ut pristinam valetudinem recuperaret. Quo cum venisset, nihilo tamen secius a labore non destitit. Molare in patria sua, Genuae, Cherii, ac praesertim Iriae, in animarum salutem plurimum insudavit. Novam hac in urbe, atque efficacissimam rationem ad animorum motus ciendos, ab eo per id tempus usurpatam invenio. Cum sermonem de supremo hominum iudicio ad populum haberet, duodecim sacerdotes spectatissimos, sacris vestibus indutos, suggestum conscendere iussit, eosque multitudini ostendens: « Hi quidem, inquit, Apostolorum vices gerunt, qui iudicabunt duodecim tribus Israël. Itaque vestri iudices exstabunt ».

Triennium in continenti commoratus, in Sardiniam, quam cariorem oculis habebat, se restituit; ibique priora caritatis prodigia instauravit. Hoc tamen non impedivit, quominus, anno MDCCCXLVIII, hominum perditorum opera, a Sardinia ipsa, una cum suis sodalibus, bonis omnibus ingemiscentibus ac frustra reluctantibus, expelleretur. Qui factiosorum turbam effrenam, coeco furore ab-

reptam et lapidibus eum impetentem, quum humanissime esset allocutus, nec tamen quidquam profecisset; ad ultimum: « Nos quidem, inquit, nil nisi salutem vestram in votis habuimus, eique omni ope perpetuo studuimus. Attamen, quandoquidem nulla alia ratione res ad otium deduci potest, hinc e vestigio abibimus ».

Interim Torniellius in insulam Melitam appulit, ibique et in proxima Gaulo, dein Neapoli, Caietae, Beneventi, ac demum in Samnio et Latio, eadem, quae alibi, pietatis portenta patravit. In oppido Cynthiano, concionem de clementia Deiparae habuit; qua expleta, ad quadraginta arma letalia a civibus ei sunt relata, quae inimicitiis persequendis, sua quisque occulta gerebant. Romae etiam ad Sancti Andreae in monte Quirinali constitit, et in maximo collegio romano nostris sodalibus magister pietatis datus, ad omnem eos religionem, tum verbo, tum exemplo, in dies magis magisque provexit.

Quum eius sanctitatis fama domi forisque quotidie augeretur, Episcopi quamplures eum certatim in suas quisque dioeceses expetebant. Riarius Sforza, Archiepiscopus Neapolitanorum, Pater Cardinalis, vir genere, pietate, doctrina, et rebus gestis apprime clarus, eum sibi a sacris confessionibus delegit, uti virum omnigena virtute praeditum, Deo carum, et mortalibus divinitus condonatum. Postremo Torniellius, quum annum septimum et septuagesimum complevisset, nihil unquam de pristina virtute remittens, plenus optimae spei, Castri-Gandulfi vitam mortalem exuit, ut immortalem indueret.

Vir fuit cum antiquis Evangelii praeconibus comparandus; utpote qui, in sacris expeditionibus obeundis, utriusque Segnerii, Pinamontii, et Baldinuccii, coelitis beati, vestigia presso gressu secutus, horum omnimodas virtutes suas fecerit. Quod verbo docebat, re praestabat. Orationi deditus quam qui maxime, complures in ea horas extrahebat, atque illam ipsam interdum ad multam noctem producebat. Inter orandum immotus perstabat, atque extra se rapi videbatur. Enimvero, Cherii quum esset, atque in cella orationi matutinae, ut nostri sunt mores, vacaret, a quodam Fratre, rei domesticae addicto, a solo elevatus, manibus iunctis, genibus flexis, alienatus sensibus, luce coruscus, vultu ad laevam converso, atque ore renidenti, est visus. In re divina peragenda,

erectam in Deum mentis aciem gerebat, ut qui in eum oculos intendebant, stupore opplerentur, ac, divino quodam terrore correpti, alio obtutum avertere cogerentur.

Cibi somnique parcissimus fuit, ut plurimi eum, quum in Sardinia degebat, esu potuque abstinere sint arbitrati. In se acerrime saeviebat; asperrimo cilicio utebatur; lorisque ferreo acumine, vel plumbea glande instructis, corpus usque ad sanguinem verberabat. Itaque non modo flagella, sed etiam vestimenta, pavimentum et cellae parietes plurimo cruore aspergebantur, imbuebanturque. Religiosae paupertatis servantissimus, vilissima quaeque sibi deligebat, et veste obsoleta ac detrita prae ceteris delectabatur. Moderatoribus dicto audiens, nihil, iis inconsultis, agebat; ratus, illud potissimum Deo probari, quod ex obedientia suscipitur. Castitatis custos diligentissimus, oculos a mulieribus perpetuo continuit, ut nullam de facie noverit.

Animi demissione in exemplum enituit. Seipsum despexit, nec unquam de clarissimis maioribus, a quibus ortum duxerat, verba fecit. Humilis cuiuslibet officii exercendi occasionem captabat; suppellectilem poliebat, conclavia purgabat, mensam sternebat, culinamque ea sedulitate moliebatur, qua munia gravissima explere consueverat. Si quando in alicuius offensionem contra votum inciderat, illico se ad eius pedes abiiciebat, veniamque subiectissime postulabat. Maxima in vulgus charitate exarsit, et caecorum, viduarum, mendicorum turbas innumerabiles, stipe collecta, ubique aluit; nec ullum unquam a se, nisi voti compotem, dimisit. Neapoli lue asiatica correptis diu noctuque sedulo adfuit, ut sibi morbum contraxerit. Quum convaluisset, iisdem pari sedulitate assidere iterum coepit, ac dein in Siciliam mitti postulavit, ut eadem pestilitate afflatis subsidio veniret. Dei gloriam perpetuo ob oculos habuit. Sacrosancti Iesu Cordis, ac Deiparae labe primaeva expertis, quibus a teneris addictissimus fuit, cultum impense fovit, et ubique gentium usque ad vitae exitum propagavit.

Vir magni animi et constantiae, quamquam, ut supra docuimus, viribus parum firmis utebatur, nullis, in Dei honore et vulgi salute procuranda, difficultatibus obruebatur. Itaque non horridae solitudines, non montium cacumina praealta ac praerupta, non fluviorum altitudo, vel impetus eum a proposito deterrebant.

Qua in re hoc fuit mirabile. Cum per Sardiniam iter faceret, atque ad flumen altissimum ac praerapidum ventum esset, comitibus, atque adeo ipsis ductoribus prae mortis timore retro cedentibus, prior ille, incredibili virtute, equo citato, aquarum vim, ad equi cervices pertinentium, perpetuo conatu superavit. Qua re visa, ceteri omnes, magis pudore quam virtute adducti, aquis traiectis, eum sunt subsecuti, atque ad unum ripam oppositam incolumes tenuerunt.

Quod sequitur memoria dignius existimo. Quendam, in Sacramento Poenitentiae crimina fatentem, Torniellius in praesentia a culpis absolvendum minime censuit. At ille, percitus ira, ferrum, quod veste tegebat, protulit, mucronemque eius pectori admovit. Qui nihil admodum exterritus, Iesu cruci appensi imaginem, quam pro pectore infra vestem gerebat, extemplo detegens; « Agedum, inquit, ferias, sodes, Dei ministrum. At enim antea ipse Deus hoc ferro tibi est petendus ». His verbis, homo scelestissimus, ut si fulmen in oculis haberet, ferro relicto, paene exanimis concidit.

Quamquam Torniellius tot mortalibus saluti erat, non ita tamen suae virtuti fidebat, quin sua eum salus sollicitum haberet. Quippe Dei iudicia extimescebat, cuius amore, an odio, utrum dignus exsistat, nemo hominum pro certo novit. Haec quondam in sacro recessu quum secum animo reputaret, et suiipsius conscientiam diligentius excuteret, simulque Inferorum tormenta, quae nunquam finem sint habitura, eius memoriae vividius obversarentur, tantus eum timor incessit, ut, paene desperatis rebus, quo demum se verteret, non satis sciret. Tum autem, divino motus impulsu, e cella, quam tum temporis Romae in collegio Gregoriano incolebat, est egressus, ut in proximo sacello se ante Hostiam Eucharisticam abiiceret, et divinam pietatem imploraret. Praetergredienti effigies Iesu cruci affixi, quae e parietibus ambulacri dependebat: « Pax, inquit, tibi ». Quibus auditis, confestim in lacrimas propter gaudium erupit, seque totum ad infinitam Iesu Christi bonitatem recepit. Hic etiam, pro re nata, libet referre, quod certi auctores memoriae prodiderunt: Torniellio videlicet in domo Antoniana cheriensi olim consistenti, imaginem Magnae Dei Matris, muro scalae, quae ad templi co-

gnominis sacrarium ducit, appensam, fuisse locutam, vel comiter subrisisse.

Verum haec postrema silentio evenere. Alia complura de Torniellio perhibentur, quibus Deus Optimus Maximus eius sanctitatem vulgo adseruit. Potiora iuvat attingere. Quum concionem, in quodam Sardiniae pago, ad populum haberet, ingens nimbus repente est coortus, ut tenebrae diem eriperent, et fulgoribus coruscantibus, tonitrua fragore coelum omne complerent. Cunctis metu traepidantibus, Torniellius: « Nemo, inquit, hinc pedem referat. Ne una quidem aquae gutta super vos decidet, ac brevi nullam in aëre suspensam nubem conspicietis ». Verba probavit eventus. Ad hominum multitudinem, quam templum, in quo concionabatur, vix caperet, alia copiosissima e propioribus pagis accessit, ut nulli tamen locus defuerit. Duobus in locis aures admissa fatentibus uno tempore praebere est visus. Lampadi aquam, quod oleum in praesens non suppetebat, infundi iussit; eaque ad integram noctem splendere non destitit. Quot aegrotis a Deo bene est precatus, tot serius ocius convaluerunt.

Quod Caietae accidit magis fuit mirabile. Pelago, ex quo piscatores nullum iamdudum piscem ceperant, quod scari, piscium genus pergrande ac praevalidum, retia abscindebant, Torniellius, piscatorum rogatu, re divina ad oram ipsam, summo mane, peracta, aqua lustrali bene est ominatus. Subinde piscatores naviculas viginti numero in altum ducere, et retia piscibus praetendere iussit. Id quum praestitissent, piscibus omnigenis, quos inter magnus scarus, retia sunt oppleta. At e piscatoribus unus, qui sollemnem Torniellii supplicationem irrisui habuisset, nulla praeda est potitus, navemque praeterea perfractam indoluit.

Quae in hominum mentibus laterent, abditis vel remotis locis fierent, aut temporum successu eventura essent, non semel patefecit. Nonnullis, quamdiu a Poenitentiae Sacramento abstinuerant, et quae peccata patraverant detexit. Quum in insula Melita versaretur, ex improviso domum cuiusdam aere laborantis, se contulit, quem nunquam antea noverat, quique, impar solvendo, in tantam desperationem inciderat, ut novacula iam iam sibi gulam scinderet. Eum solatus, bene sperare iussit; dein triginta quinque scutatos nummos illi obtulit; simulque: « Quos debes triginta, inquit,

statim solvito; reliquis utitor tibi ». Neapoli, nocte impendente, domo exiit, atque hominem ad exitum viarum inimicum suum praestolantem, ut eum pugione, quem amiculo tegebat, morti daret, ex improviso: « Cedo, inquit, pugionem ». Cui furcifer: « Quemnam, quaeso? Nil tibi mecum est negotii. Apage te, tibique vacato ». Nihilo secius Torniellius, qui temere rem incognitam non pronunciavisset, hominem blande appellans, a nefando proposito deterruit, ac pugione impetrato, domum deduxit, ut, consilii poenitens, cum Deo in gratiam rediret. Illud demum silentio non praetergrediendum, quod P. Iosephus Caruana, nostrae Societatis alumnus, his verbis enarravit: « P. Torniellius quum, me puero, in domum meorum parentum coenatum venisset, ad extremum omnibus valedicturus: — Ex vobis unum, inquit, Beatus Pater Ignatius a Loyola sibi vindicabit. — Hisque dictis, discessit ».

Neque minus ad eius innocentiam adstruendam, ulciscendamque, a Deo cautum ac provisum est. Nam de illius obtrectatoribus, atque insectatoribus acerbissimas poenas Deus sumpsit. Enimvero, qui Torniellium a Sardinia expulerant, plerique vitam pessime finiverunt. Qui lapide eum impetiierat, oculis captus, brevi decessit; quin etiam cum efferretur, ea ipsa in platea e feretro cecidit, ex qua lapidem proiecerat. Alius furore percitus, de sana mente est deiectus. Alius paralysi correptus, neci occubuit. Alius demum apoplexia perculsus, e podio decidit.

Haec quidem de Torniellio dum adhuc inter vivos agebat. De eodem vita functo perhibent, eius sepulcrum aetherea luce circumfusum ab aliquibus esse visum. At enim quae praeter, vel supra naturae leges accidisse feruntur, legitimis cognitoribus expendenda relinquimus. Torniellii vitam fuse enarravit ediditque P. Albertus Maria Centurione S. I. Ex ea quae nobis potiora sunt visa decerpsimus, atque hunc commentarium scripsimus (1).

---

(1) *Vita del Padre Federico Maria Tornielli d. C. d. G. descritta dal P. Alberto Maria Centurione della medesima Compagnia.* Torino, tipografia Giulio Speirani e Figli, 1880. 12°, pp. VII-363.

ALEXANDER PONZA A S. MARTINO

XI.

ALEXANDER PONZA A S. MARTINO

Draconerii in Subalpinis nobili genere est natus, anno christiano MDCCCXII; et in nostra Societate se Deo dedidit, aetatis suae anno quintodecimo. Romae, tirocinio pietatis exacto, doctoribus Arrigonio et Bonvicinio, sollertissimam litteris operam navavit, et dignus est habitus, qui continuo Sassari in Sardinia, dein Augustae Taurinorum rhetoricam traderet. Hac ipsa in urbe philosophiae animum advertit, eodemque tempore elementa mathesis iuvenibus sodalibus suae provinciae explanavit. Subinde Genuae ad Sancti Ambrosii Antonium Carlium et Firminum Costam, theologos praestantissimos, audivit, et sacerdos inauguratus, Taurinum iterum contendit, ut in Collegio Sanctorum Martyrum physicam et *chimiam* eosdem iuvenes doceret. Quo in munere magni est factus. Discipulos est nactus probatissimos, inter quos Iosephum Brunengum, Aloisium Ceruttium, Iosephum Fantonium, Natalem Santinium et Ioannem Iosephum Francum. Hi quidem postea, Santinio excepto, inter scriptores ephemeridum, quae a *Civilitate Catholica* nuncupantur, sunt cooptati.

Quod maximam in rebus agendis dexteritatem cum doctrina singulari copularet, ei, annos tres et triginta minori nato, Collegii et Convictus Nobilium taurinensis regimen est permissum. Quo in officio ita se gessit, ut omne punctum tulerit. Etenim

aequi rectique servantissimus erat, eaque animi benevolentia, et verborum suavitate, singulos de officio admonebat, ac meritas, ubi res postularet, ab iis poenas exposcebat, ut omnium voluntates sibi penitus adiungeret, et quo vellet, facili negotio perduceret. Itaque, eo auspice, collegium, tum doctrina, tum pietate, maxime floruit. Quam ob rem, motibus civilibus imminentibus, qui anno MDCCCXLVIII sunt excitati, quum Ponza, a patre suo de impendenti collegii subversione certior factus, alumnos omnes suam quemque domum deducendos curavisset; horum parentes, discriminis ignari, eosdem ad collegium confestim reduxerunt; rati, si quid periculi in tanta hominum commotione civibus instaret, nusquam alibi filiorum incolumitati tutius se consultum ituros, quam si nostrorum sodalium fidei eos iterum committerent (1).

Ingenti ea calamitate collegio taurinensi illata, Ponza cum P. Francisco Pellico praeposito provinciali est consociatus; dein cum eo in Galliam profectus, theologiam morum in Collegio Dolano explanandam suscepit. Duobus post annis, ipsum Pellicum in eadem provincia administranda excipere est iussus. Itaque, pro magnitudine et constantia animi, qua praestabat, quod fuerat acceptum detrimenti, sarcire studuit. Id porro, pro temporum nequitia, ita est consecutus, ut de suis omnibus egregie meruerit. Nam brevi post tempore Collegium Massae-Ducis recepit, sacrum ephebeum maius Brictinoriense in Aemilia, et Cuneense minus in Subalpinis excolenda suscepit. Ad hoc insulam Corsicam, et postea Etruriam in iura provinciae taurinensis recepit, domum in Carrariae urbis vicinia aedificavit, et alteram ad Massae-Ducis litora, cui Querquetulana nomen est factum, tironibus excipiendis, a solo aedificandam curavit. Alias etiam aedes Bastiae in Corsica a fundamentis excitavit; quae postmodum nostris sodalibus, ac praecipue tironibus, tutam a civilibus Italiae tempestatibus stationem praebuere.

Praeterea primus omnium quamplures sodales in Californiae et Montium Saxosorum *missiones* invexit, quae postea, eo adnitente, in ius ac tutelam nostrae provinciae transductae sunt. Neque conticendum, eiusdem provinciae opes, iamdudum afflictas, ac paene prostratas, sub eius regimine erectas esse; siquidem in

sumptibus curandis plurimum valebat, ut pauci admodum ei essent comparandi. Quippe, non modo vir frugi et parsimoniae studiosissimus erat, sed etiam, ob magnam cognationem, ceterasque mentis atque animi dotes, necessitudinem et gratiam plurimam cum viris principibus inierat. Qui liberalissimi quum essent, ac religiosi in exemplum, crebro ei, eiusque sodalibus adiumento veniebant (2).

Annos amplius novem provinciae taurinensis praefectura egregie obita, provinciae romanae pari auctoritate moderandae est addictus. Quo munere, etsi iniquissima tempora intercedebant, tamen non minore felicitate est functus. Eius sub ductu, Collegium Tusculanum, pietate et munificentia Marci Antonii Burghesii, principis romani, qui amplissimas aedes nostris sodalibus incolendas permiserat, excitatum est. Praeterea vastissimae imperii Brasiliensis regiones, sacris expeditionibus ad omnimodam religionem alendae, in custodiam provinciae romanae sunt translatae. Ad eius laudes etiam accedit, quod quibuscumque eventibus civilibus, qui ea potissimum tempestate essent extimescendi, nunquam imparatus exstitit. Animum enim attendebat ad cavendum, ne provinciae opes in perduellium manus, uti olim, ita modo integrae devenirent; atque ita se gerebat, ut in ancipiti casu receptum aliquem ad salutem haberet, ne sodales, eius ope destituti, sibi separatim consilium capere cogerentur. Septem post annis, magistratu decessit, magno quidem animi sui gaudio, ut illud etiam vultu praeferret ac verbis exprimeret; at non minore sodalium omnium dolore, qui, nuncio audito, a lacrimis temperare vix potuerunt.

Post haec Ponza in Brasiliam ipsam, Visoris titulo et potestate insignitus, a Patre Praeposito Generali est missus, ut novam et pergrandem illam *missionem* sacram inviseret, ac de ea, converso itinere, ad eundem referret. Hoc officio prospere obito, in Italiam est regressus, et Collegii-Convictus Tusculani rector est iussus. Quo facto nil carius Burghesio principi accidere potuit. Quippe Ponza ab eo maximi fiebat, eique iucundissimus exstabat. Quo in collegio, illo moderatore, pietas, boni mores, ac litterae plurimum floruere. Nam animorum omnium habenas ita tenebat, ut unusquisque ad nutum imperata faceret, nec illi unquam

magistrorum, et alumnorum studia deessent. Praeterea ad aedes instaurandas animum appulit; sacrarium organo musico, pretiosa suppellectile instruxit et Sancti Claudii Martyris exuviis locupletavit. Rationes demum dati et accepti sollertissime expendens, rem domesticam ita accuravit, ut aerarium provexerit. Anno MDCCCLXX, quo Urbs, totius orbis catholici caput, in potestatem regis Subalpinorum, una cum proxima regione, est redacta, Ponza suo collegio, suisque etiam sodalibus, qui in Urbe erant, precibus interpositis, ea ratione prospexit, ut in tanta rerum publicarum subversione, eos ab iniuria incolumes praestiterit. Eodem in collegio e vivis excessit, annum agens sexagesimum sextum, a religiosa professione tricesimum alterum.

Vir fuit doctrina, prudentia et religione maxime commendandus. Eius studium in catholicam religionem et summos Pontifices plurimum enituit. Enimvero, quo anno Gustavus, eius frater natu maior, qui amplissimis magistratibus in regno Subalpinorum perfunctus erat, Romam venit, ut Pio IX, Pontifici Maximo, litteras traderet, quibus Victorius Emmanuel II, Subalpinorum rex, quo facilius illam urbem in suam redigeret servitutem, Pontificem dolose hortabatur, ut eam a perduellibus tutandam sibi permitteret, Ponza ab urbe Tusculo, quae Roma non longe abest, illico est egressus, ut illum inviseret. Ast ubi Romam venit, et a fratre intellexit cuius negotii causa ad Urbem se contulisset, vultu ad severitatem composito, gravissimis verbis eum arguere non dubitavit, quod legationem suscepisset, quae maximum communi familiae dedecus in posterum illatura esset. Cui, quum frater respondisset, se Regi suo, a quo praeterea senator creatus esset, parere velle ac debere: « Quasi vero, extemplo inquit ille, magis hominibus quam Deo obtemperare deceat ». Quibus dictis, ab Urbe excessit, et Tusculum est regressus (3). Hic porro, quoniam res monet, non est praetereundum, Ponzam de fratris sui sempiterna salute adeo sollicitum fuisse, ut pro ipso plurimas preces fuderit, et Deo vitam suam pacisci non dubitaverit. Quibus precibus boni omnes acceptum retulerunt, quod Gustavus, quum in supremo vitae discrimine versaretur, factorum poenitens, cum Deo atque Ecclesia catholica in gratiam palam redierit.

Ephemerides romanae, quae inscribuntur — *La Voce della Verità* — Ponzam multa laude post obitum sunt prosecutae. Alumni vero Collegii et Convictus Tusculani, grati animi ergo, eius effigiem, ad vivum expressam, inter imagines Pauli V, Summi Pontificis, et Marci Antonii Burghesii, de quo supra attigimus, in aula, quae Ciampia audit, statuendam curarunt; ut, quae ipsorum animis penitus insideret, etiam ob oculos versaretur (4).

NOTAE

(1) *Lettere della Provincia Torinese d. C. d. G.* Serie seconda, Vol. I, fasc. I°, Febbraio 1892. — Torino, Tip. Vincenzo Bona, 1892 (pagina 132).

(2) Hos inter adnumerabatur in primis Maria Anna, Victorii Emmanuelis I, Sardiniae regis, filia, quae Ferdinando I, Austriae Imperatori, nupserat.

(3) Hoc equidem accepi a sodalibus provinciae romanae.

(4) Ponzae elogium integrum confeci ex notitiis nostri tabularii, et nostrorum sodalium. Multarum etiam rerum ipse ego sum testis; utpote qui eum noverim, et de se narrantem audiverim.

IOSEPHVS PARIA

XII.

IOSEPHVS PARIA

VIRI elogium adgredior, qui in litteris, ac praesertim in re grammatica maximus fuit. Vitae limen est ingressus Paucae-paleae in Subalpinis, anno humanae salutis MDCCCXIV. Braydae, proxima in urbe, litteris ab ineunte aetate est eruditus, et quantum in iis esset progressurus, mature portendit. Erat enim litterarum cupidissimus, praestans ingenio et desidiae osor, ut vel minimum temporis articulum lucri faceret. Itaque aequalibus palmam perpetuo praeripuit. Ad Societatem nostram accessit Cherii in Taurinis, annos natus undeviginti. Tirocinio pietatis nondum plane posito, Isaïam Carminatium, rhetorem praeclarissimum, nactus est praeceptorem, et quamquam annum omnino unum eum audivit, tamen eius vota ita explevit, ut exspectationem longe superaverit. Enimvero Carminatium ipsum in litteris graecis et latinis facile est assecutus; in italicis vero oppido antecessit.

Quamobrem confestim non grammaticus, sed rhetor Novariam est missus; ibique mansuetiores musas biennium magna cum laude docuit. Subinde Taurinum contendit, ut scholarum praefecturam obiret. Tum iunior, neque dum sacris initiatus, in urbe Cherio sodalibus iunioribus provinciae Taurinensis rhetor datus, ad omnem eos humanitatem sollertissime eduxit. Quippe nihil elegantiarum non noverat, et reconditiores litterarum pulchritudines plane perspectas habebat. Per id ferme

tempus, celeberrimam illam ac numeris omnibus absolutam italici sermonis grammaticam conscripsit, vulgavitque, quae etiam nunc, sexaginta amplius post annis, licet conversis litterarum studiis, maximo habetur in pretio, atque a viris doctis, quamvis in nostram Societatem male animatis, ceteris praestare censetur (1). Huic redigendae ad biennium insumpsit.

Hoc edito opere, Paria tota Italia in maius celebrari est coeptus, atque a litteratis hominibus, qui ea tempestate maxime florebant, praesertim a Iosepho Manutio, Aloisio Fornaciario, Marco Antonio Parentio et Bartholomaeo Verattio (2), quocum familiarissime erat coniunctus, summo in honore est habitus. Neque minus Petro Secchio, Iosepho Marchio et Antonio Brescianio, viris nostrae Societatis litteratissimis, eius virtus est probata (3). Hac de causa Brescianius, in dialogis, quos de Sardorum moribus, non multo post tempore, in lucem dedit, eum secum et cum Carminatio, eius magistro, loquentem induxit; quin etiam cognitorem et emendatorem suorum operum in posterum adhibuit. Carminatius vero Pariam prae ceteris suis auditoribus diligebat, eiusque ingenium atque eruditionem ubique gentium praedicabat.

Quod antequam nostram Societatem amplecteretur, philosophiae cursum egregie admodum Braydae emensus erat, idcirco hunc eundem apud Nostros non est remensus; sed Cherio profectus sub exitum anni MDCCCXLIV, Romam contendit, ut in Collegio Romano sacrae theologiae operaretur. Quod quidem ut maximum eius ingenii testimonium haberi debet; quippe quia eam in urbem, studiorum causa, ab aliis provinciis mitti solerent, qui ingenio ceteris praestarent. Eodem tempore Paria in Collegio Nobilium eiusdem urbis, in quo morabatur, plurimo nostris moderatoribus atque alumnis fuit emolumento (4). Ad sacerdotium anno MDCCCXLVI evectus, et quattuor religiosae professionis votis sexennio post nuncupatis, in coetum scriptorum ephemeridum, quae a *Civilitate Catholica* sibi nomen adsciverunt, iure ac merito transcriptus est. Quamquam tenuissima valetudine utebatur, plurima tamen hos inter scriptores ingenii documenta praebuit, ut harum ephemeridum non longo post tempore moderator sit renunciatus. Recensiones varias et dissertationes in his prodidit

de re critica, morali et religiosa accuratas admodum, atque eruditas.

Sex annos hoc officio perfunctus, praefecti scholarum munus in Collegio Romano est aggressus; simulque iuvenibus philosophis nostrae Societatis litteras hellenicas enarravit, illosque, eius praeceptiones avidissime excipientes, politiores oratorum ac poëtarum graecorum venustates quam diutissime docuit. Per id etiam tempus, nonnulla opera edenda curavit, quae in maxima eiusdem collegii bibliotheca iamdiu latebant, quaeque inferius recensebimus. Eius enim bibliothecae praefecto primus socius a manuscriptis codicibus evulgandis fuerat datus. Praeterea librorum, qui a nostris sodalibus ederentur, censor est dictus.

Nullum sibi praeterlabi diem sinebat, quin studio operam impenderet, atque hoc ipsum saepissime ad multam noctem producebat. Quocirca lepide dictitabat, se plus olei consumere solitum quam vini. Nuspiam eum, nisi in ludo, in bibliotheca, in cella, vel in templo culpis pro sacro tribunali abluendis, reperire licebat. At vero, quod de se demisse admodum sentiebat, suisque viribus minimum fidebat, licet insigniter doctus ac disertus, in conspectum prodire, perinde ac si infantissimus esset, verebatur. Hinc etiam est factum, ut complures ingenii sui fructus posteritati consignare detrectaret.

Singulari fuit in omnes bonitate et comitate; quapropter his virtutibus singulos sibi devinxit. Pius in exemplum, summo in Deum et mortales amore exarsit, neque ullam cum ullo simultatem gessit. Quam ob rem nunquam ipsi cum quopiam in gratiam redeundum fuit. Inter eius virtutes demissio animi prae ceteris eluxit. Speciem praeterea habuit modestissimam. Quapropter qui eum intuebantur, et qualis, quantusque esset, tantum fama noverant, aegre admodum sibi persuadere poterant, tali sub specie virum philologum celari aevi sui praecipuum. Itaque utilis multis, carus omnibus, molestus nemini, vitam explevit Castri-Gandulphi anno MDCCCLXXXI, quod in oppidum paullo ante se receperat, ut vires instauraret.

Antonius Angelinius, nostrae Societatis sodalis litterarum peritissimus, qui Paria per longam annorum seriem familiarissime usus erat, eius elogium conscripsit, et typis invulgavit (5). Bal-

thassar Boncompagnius, princeps romanus, Pariae discipulus, Willelmus Audisius (6), Ioannes Manzonus, et scriptores commentariorum — *La Civiltà Cattolica* — copiosissima laude illum praeterea honestaverunt (7). Eius demum Municipes, anno MDCCCLXXXII, ne viro tota Italia clarissimo honor in patria deesset, magna pompa atque apparatu, lapidem in fronte eius domus natalis posuere, hoc titulo insculpto (8).

RICORDA · IL · COMUNE

CHE · NACQUE · IN · QUESTA · CASA

GIUSEPPE · PARIA

PRINCIPE · DEI · GRAMMATICI · ITALIANI

ADDÌ · XV · LUGLIO · MDCCCXIV

OPERA EDITA ET INEDITA

1° *Grammatica della lingua italiana di Giuseppe Paria della Compagnia di Gesù.* Torino, per Giacinto Marietti, 1844, 18° pp. XVI-371. (Duodecies ab eodem edita Taurini ante obitum auctoris).

Quod maxime erat in votis, A. Mazzettius copiosum indicem edidit, qui inscribitur: *Indice particolare di tutte le materie contenute nella Grammatica italiana del P. G. Paria.* Torino, Tipografia editrice, G. Marietti, 1893, 16° di pp. VIII-80.

2° *Particulae latinae orationis* HORATII TURSELLINI S. I. Editio stereotypa ceteris longe auctior et emendatior in usum scholarum eiusdem Societatis. Taurini, ex officina stereotypica Hyacinthi Marietti, 1841, 12°, pp. XII-276.

Idem opus Paria, anno MDCCCXLIV, passim interpretatione italica auxit, indicibus commodiore ordine dispositis locupletavit, prooemio elegantissimo instruxit, atque eadem officina stereotypographica excudendum curavit. Mirum omnino, Balthassarem Boncompagnium, in Pariae operibus recensendis diligentissimum, de hoc Pariae labore nullam mentionem fecisse.

3° *Saggi di Prose italiane ad uso dei Giovanetti.* Roma, Marini e Morini, 1850, 8°, 3 vol. Hoc etiam opus in Boncompagnii recensione desideratur.

4° *Emmanuelis Alvari e Soc. Iesu Institutio grammatica ab Horatio Tursellinio e Soc. Iesu in compendium redacta; a Iosepho Paria e S. I. in commodiorem ordinem distributa.* Romae, typis Ven. Hospitii Apostolici cum privilegio, Leonardus Oliverius, anno MDCCCLX edidit, 8°, pp. XVI-238.

5° In opere, cui titulus — *Serie di panegirici in onore del B. Ben. Gius. Labre. Decade prima. Roma, s. a. (1861),* 8° — Pariae versionem poëticam italicam invenies carminum latinorum P. Viti Giovenazzi in laudem eiusdem Beati Caelitis (pagina VII).

6° *Ioannis Baptistae Ptolemaei e Societate Iesu, S. R. E. Cardinalis, de Romano B. Petri Pontificatu dissertationes polemicae; accedunt, I. Conradi Ianniugii e Soc. Iesu de die Martyrii B. Petri ad Io. Bapt.*

Ptolemaeum Epistola; II. De la primautè de l'Eglise romaine par messire Jacques Goussault, Docteur de la maison de Sorbonne à S. A. R. le Régent. Omnia ex Mss. codd. Bibliothecae Collegii S. I nunc primum vulgata. Romae, ex officina libraria Collegii Scriptorum *Civilitatis Catholicae*. Anno M. DCCC. LXVII, 8°, pp. XL-304.

Huic operi tunc primum a se edito Paria hanc inscriptionem praeposuit:

VENERABILI · VIRO

PETRO · BECKX

QVI

SOCIETATI · IESV · VNIVERSAE

VI · NON. · IVL. · AN. · CHR. · M · DCCC · LIII

PRAEPOSITVS

PAREM · SE · MVNERI · PAREM · TEMPORVM · DIFFICILLIMIS

PRAESTITIT

FACTVS · FORMA · GREGIS · EX · ANIMO

CLARORVM · VIRORVM

DE · ROMANO · B. PETRI · PONTIFICATV

SYNTAGMATA

EX · MSS · CODD. · NVNC · PRIMVM · VVLGATA

IOSEPHVS · PARIA · E · S. · I.

PARENTI · OPTIMO

BONA · CVNCTA · LONGISSIMVM · IN · AEVVM

ADPRECATVS

OBSERVANTIAE · GRATI · Q. · ANIMI · PIGNVS

DEDICAT

XVII · KAL. · IVL. · A. · CHR. · M · DCCC · LXVII

A · MARTYRIO · PRINCIPIS · APOSTOLORVM

ANNO · SAECVLARI · XVIII

SACRI · PRINCIPATVS · PII · IX · PONT. · MAX.

ANNO · XXII

Eidem operi prooemium praefixit, quo docte omnino vitam auctoris narrat.

7° *Francisci Toleti S. I. S. R. E. Presb. Card. in Summam theologicam S. Thomae Aquinatis enarratio. Ex autographo in bibliotheca Collegii Romani asservato, nunc primum edidit Iosephus Paria e Societate Iesu, Praefecti Bibliothecae Socius a Mss. vulgandis.* Romae, Typ.

Prop. Fid. 1869-70; 4°; 4 vol. pp. 519, 432, 466 et 425. (Analecta Iuris Pontificii 1873, col. 309-321).

8° *Il livello degli studi liceali nel Regno d'Italia e nelle scuole romane dal 1859 al 1869, determinato sopra documenti officiali da Giuseppe Paria della Compagnia di Gesù.* Roma, Tip. di Propag. 1871, pp. 34, 2ª edizione corretta ed accresciuta dall'autore. Ibid. 1871, 8°, pp. 48.

9° *Ecce iterum Crispinus, ovvero una nuova critica in usum Brioschi riprodotta con un Commentario dal P. Giuseppe Paria della Compagnia di Gesù.* Roma, Tipografia della S. C. de propaganda Fide, 1871, 8°, pp. 54.

10° *La storia delle antiche persecuzioni ne' primi secoli della Chiesa, scritta dal P. Lorenzo Alticozzi cortonese della Compagnia di Gesù.* Roma, Tipografia della S. C. de propaganda Fide... 1871, 8°, pp. 48.

Hoc opus Paria primus edidit; eique postea, iterum a se edito (anno 1879) haec adiecit: — *Brevi cenni dell'Editore intorno alla vita e alle opere del P. Lorenzo Alticozzi della Compagnia di Gesù.* — Tipografia di Roma, via Celsa.

11° *Sermoni di S. Bernardo nelle solennità del Signore, volgarizzati da Frate Domenico Cavalca, dell'Ordine dei Predicatori, ridotti a purgata lezione, e dedicati all'Eccellenza del Principe Don Baldassarre Boncompagni da Giuseppe Paria d. C. d. G.* Roma, dalla Tipografia della Pace, 1880, 16°; pp. LXIV-416. In prooemio exponit Paria rationem, quam in hoc opere primum evulgando sequendam duxit, et argumenta affert in medium, quibus idem opus Dominico Cavalca tribuendum existimavit.

Huius operis primum tantummodo volumen Paria invulgavit, quod morte interceptus alterum absolvere non potuit.

12° In libro qui inscribitur — *Lettere di illustri scrittori a Tommaso Vallauri, Torino, 1880, 8°* — epistolam Pariae invenies (p. 439-41).

Quae Paria scripsit in ephemeridibus — *La Civiltà Cattolica* — multa sane fuere. Haec enim verba in iisdem ephemeridibus licet legere: « Fu poi il P. Paria, per alquanti anni, collega... nella compilazione della *Civiltà Cattolica,* che per alcun tempo diresse in Roma, stampando ne' suoi quaderni articoli critici, morali, religiosi, filologici, sempre degni della sua penna... ». At vero a Balthassare Boncompagnio, itemque a Carolo Sommervogelio, tantummodo nonnullae recensiones indicantur, videlicet:

13° *Delle versioni fatte da Platone Tiburtino, traduttore del secolo duodecimo, notizie raccolte da B. Boncompagni.* Roma, Tipografia delle Belle Arti, 1851, in 4° di 52 pagine. (*Civiltà Cattolica,* anno quinto, Seconda Serie, vol. quinto, pag. 551).

14° *Della vita e delle opere di Gherardo Cremonese, traduttore del secolo duodecimo, e di Gherardo da Sabbionetta, astronomo del secolo decimoterzo; notizie raccolte da Baldassarre Boncompagni dagli atti dell'Accademia Pontificia de' nuovi Lincei, anno IV, Sessione VII del 27 Giugno 1851.* Roma, 1851. Tipografia delle Belle Arti... in 4°, di 110 pagine. *(Civiltà Cattolica,* Serie, Tomo, pagina, ut supra).

15° *Il Libro dell'Ecclesiaste, volgarizzamento del buon secolo della lingua, ora per la prima volta pubblicato dal P. Francesco Frediani M. O. in Napoli nella stamperia del Vaglio,* MDCCCLIV in 8°, di 116 pagine. *(Civiltà Cattolica,* anno sesto, Seconda Serie, volume duodecimo, Roma, 1855, pag. 577-582).

16° *Sermoni di S. Bernardo, volgarizzati nel buon secolo di nostra lingua, editi per cura del P. Fr. Anselmo da S. Luigi Gonzaga, Carmelitano scalzo, e da lui proposti a' Giovani del suo Ordine.* Firenze, presso Pietro Ducci in piazza S. Firenze, 1855, in 8°, di 228 pagine. *(Civiltà Cattolica,* ut supra).

En tibi modo reliquas recensiones, quas Paria in memoratis ephemeridibus conscripsit:

17° Sopra la prolusione del VALLAURI *De vitiis in puerili institutione vitandis.* Serie seconda, vol. I, pag. 40.

18° FERRUCCI A. C. *Odarum libri III.* Serie prima, volume VI, pag. 695.

19° *La sfera del Dispotismo Austro-Parmense.* Serie seconda, vol. I, pag. 92.

20° *I Morali di S. Gregorio, volgarizzati.* Serie seconda, vol. I, pag. 437.

21° *Laudi Spirituali del* BIANCO DA SIENA. *Rime e prose del buon secolo della lingua.* Serie seconda, vol. III, pag. 306.

22° *Una novella convertita.* (La sferza di Brescia). Serie seconda, vol. III, pag. 379, 454.

23° ROSI VINCENZO, *Lessico etimologico di latinità.* Serie seconda, vol. IV, pag. 432.

24° PASSAGLIA C. *De Immaculato Deiparae Virginis Conceptu commentarius.* Serie seconda, vol. VIII, pag. 69, 552.

25° ORIDI F. *Cronaca dei principali fatti d'Italia dall'anno 1417, al 1468, di Niccolò della Tuccia.* Serie seconda, vol. VIII, pag. 319.

26° GAUDE F. *De Immaculato Deiparae Conceptu.* Serie seconda, vol. IX, pag. 91.

27° CUSANI F. *La letteratura latina.* Serie seconda, vol. IX, pag. 559.

28° COPPI A. *Annali d'Italia.* Serie seconda, vol. X, pag. 86.

29° *Annuario di varii testi di lingua.* Serie seconda, vol. X, p. 451.

30° Gigli O. *Studii sulla Divina Commedia.* Serie seconda, vol. X, pag. 562.

31° Tommasoni T. *Saggio di lettere famigliari.* Serie terza, vol. I, pag. 78.

32° Adami C. *Compendio di storia della Letteratura italiana.* Serie terza, vol. I, pag. 207.

33° *Collezione di leggende inedite, scritte nel buon secolo della lingua toscana.* Serie terza, vol. II, pag. 340.

34° *Di alcuni insigni letterati.* Serie terza, vol. III, pag. 213.

35° Sala A. *Documenti per la storia della diocesi di Milano.* Serie terza, vol. III, pag. 323.

36° Montanari G. I. *Vita di S. Filippo Neri.* Serie terza, vol. III, pag. 333.

37° Ballerini A. *Sylloge monumentorum ad myst. Concept. Immac. illustrandum.* Serie terza, vol. III, pag. 658.

38° Vallauri. *Orationes etc.* Serie terza, vol. IV, pag. 200.

39° Garucci R. *Melanges d'Epigr. anciennes.* Serie terza, vol. IV, pag. 442.

40° Vallauri T. *Di alcuni scrittori latini.* Serie terza, vol. IV, pag. 675.

41° Bindati S. *Le vite di illustri Cremonesi.* Serie terza, vol. V, p. 66.

42° *L'Heureux I. Hagioglypta.* Serie terza, vol. V, pag. 354.

43° Gallonio A. *Istoria di Elena de Massimi.* Serie terza, vol. V, pag. 604.

44° Virgilio. *Eneide, trad. di L. Prato etc.* Serie terza, vol. V, pag. 720.

45° Nannucci V. *Manuale della letteratura italiana.* Serie terza, vol. VI, pag. 214.

46° Ottino E. *Gl'Inni Orfici tradotti.*

47° Notari R. *Trattato di Epigrafia latina e italiana.* Serie terza, vol. VI, pag. 312.

48° *Opuscoli religiosi, letterari e morali.* Serie terza, vol. VI, p. 586.

49° Capozzi F. *Un fiore sui sepolcri.* Serie terza, vol. VII, pag. 92.

50° Graziani G. B. *Vittoria de' Genovesi.* Serie terza, vol. VII, pag. 332.

51° B. Giordano da Rivalta. *Tre prediche inedite.* Serie terza, vol. VIII, pag. 93.

52° Bagarotti G. *Raccolta di operette elementari.* Serie terza, vol. VIII, pag. 190.

53° Manii F. *Monumenta Vaticana.* Serie terza, vol. VIII, pag. 720.

54° Garrucci R. *I segni delle lapidi latine.* Serie terza, vol. X, pag. 73.

55° Perrone G. *De Matrimonio.* Serie terza, vol. X, pag. 339.

56° *Miscellaneorum ex Mss. Collegii Romani; Series altera.* Serie terza, vol. X, pag. 707.

57° Pariae etiam est tribuendum prooemium alterius voluminis Exercitiorum S. Ignatii, quae P. Diertins explanavit, et P. Dassius in vulgus edidit Augustae Taurinorum, anno MDCCCXXXVIII.

58° Post eius obitum edita sunt duo carmina latina, ab eo iuniore conscripta. Haec quidem licet invenire in hac opella: *Isaïae Carminatii auditorum Cheriensium Carmina Sacra.* Edidit Salvator Casagrandius. Augustae Taurinorum excudit Vincentius Bona, Regis Italiae officinator librarius, anno CIↃ IↃ CCC XCVIII.

A. Complura idem congessit, ut Grammaticam hellenicam conficeret, atque ederet, quae inter novam rationem Grammaticorum Germanorum, et antiquam Gretseri, medium iter teneret.

B. Invenies demum nonnulla carmina italica in tabulario domus Antonianae cheriensis, quae a Paria pro speciminibus academicis Altoduni et alibi sunt confecta. Equidem, anno MDCCCXCV, haec eadem in eo tabulario asservata perlegi. Aliena manu sunt exarata, iisque Pariae nomen est subiectum.

Vide etiam inferius in tabella operum P. I. Boeri numerum 43°.

NOTAE

(1) In litteris Provinciae Taurinensis S. I. editis anno MDCCCXCVII (Torino, Tip. G. Derossi) in pagina 353 scriptum legimus, Pariam edidisse grammaticam postquam ad triginta annos litteras docuerat. Verum non triginta, sed decem, vel paulo minus, anni numerari debent. Necdum enim Paria triginta aetatis annos expleverat, quo tempore eam invulgavit. Vide notam 7.

(2) BARTHOLOMAEUS VERATTIUS de Pariae grammatica scriptum reliquit: « Noi non saremo di quelli, che il benemerito autore prevede non essere per sapergli grado dell'opera e del buon volere. Che anzi di questo assaissimo, e di quella non poco gli sappiam grado, ed il lodiamo. Ed altrimenti sarebbe ingiustizia; imperocchè, oltre il merito di aver ridotto, e come ristretto in un volume solo tanti pregiati avvertimenti di insigni maestri, e come il fiore dei lavori di felicissimi cultori dell'italiana filologia, gli si dee dare pur quello di avere alquanto semplificato il labirinto della grammatica ». *(Continuazione delle memorie di Religione, di morale e di letteratura;* Tomo XVII, Modena, dalla reale tipografia Eredi Soliani, 1844).

(3) ANTONIUS BRESCIANIUS ad Aloisium Fornaciarium haec scripsit anno MDCCCXLIV: « Vi mando un regaletto prezioso, per farvi vedere che son vivo. Questa è la nuova Grammatica del nostro P. Paria. Vi troverete dentro un vero emporio di bellezze pratiche della lingua nostra benedetta ». *(Lettere famigliari ed erudite del P. Antonio Bresciani d. C. d. G.* Parte seconda. Lettera 367. Roma. Ufficio della *Civiltà Cattolica,* MDCCCLXIX).

(4) Quo tempore Paria in Convictu Nobilium morabatur, alumnis theologiae recolendae praeerat, et Bibliothecae curam habebat.

(5) ANTONIUS ANGELINIUS de Pariae Grammatica haec habet: « L'Italia sarà perpetuamente riconoscente alle fatiche e all'ingegno del diligente investigatore delle arcane leggi della filologia, se ha, sia detto senza tema di dar nell'esagerato, la più ricca e piena Grammatica Italiana, nella quale chi studia avrà a mano e preste le più fine eleganze del nostro bellissimo idioma: lavoro che gli acquistò lode singolare da tre sommi filologi, Marcantonio Parenti, Luigi Fornaciari e Bartolomeo Veratti » *(La Voce della Verità,* Roma, Anno VI, Num. 236).

(6) Willelmus Audisius haec de Paria ait: « Ebbe indole mitissima, aspetto gentile, ingegno positivo, paziente, laboriosissimo, nato e fatto per le disquisizioni grammaticali e linguistiche, nelle quali riuscì eccellente. La sua grammatica italiana, per metodo, varietà e ricchezza è un tesoro; e si può dire, che oltre alle voci e alle forme, egli fosse entrato bene avanti nello spirito e nel genio particolare delle lingue latina, greca e italiana ». *(Due articoli relativi al P. Paria d. C. d. G. da un catalogo dei suoi lavori compilato da B. Boncompagni.* Roma, Tipografia delle Scienze matematiche e fisiche, 1882. pag. 9).

(7) Ephemerides — *La Civiltà Cattolica* — haec de Pariae Grammatica referunt: « Passati di poco i trent'anni (nondum eos plane expleverat) egli pubblicò la sua celebre grammatica della lingua italiana che, a giudizio del Manuzzi, del Parenti, del Fornaciari, del Bresciani, del Veratti e d'altri spertissimi letterati, è fra le più piene e perfette che l'Italia possegga; ed ha l'inestimabile vantaggio d'insegnare, a chi bene la studii, il modo di scrivere, non solo corretto e purgato, ma elegante altresì e garbato *(Civiltà Cattolica*, Serie duodecima, vol. I, pag. 85) ». Scripsi Pariam, quo tempore grammaticam edidit, nondum tricesimum aetatis annum explevisse. Is enim idibus quintilibus anni MDCCCXIV est natus, et Antonius Brescianius, uti in nota 3ª retuli, eam grammaticam iam editam Aloisio Fornaciario dono misit VI Kalendas Iunias anni MDCCCXLIV.

(8) Ex auctoribus, quos in notis nominavimus, et praecipue ex ephemeridibus — *La Civiltà Cattolica* — ea deprompsimus, quae de Paria persecuti sumus. Alia etiam sunt ex tabulario provinciae taurinensis S. I. vel ex tabellis annuis, quas Catalogos nominamus. Ex his illud eruitur, quod iam monuimus, Pariam videlicet in grammatica conscribenda biennium omnino contrivisse, ac praeterea tunc temporis rhetorica nostris iunioribus tradenda distentum esse.

XIII.

IOANNES BAPTISTA CENTURIONE

GENUAE, opulentissima in urbe, principe loco est natus anno a partu Virginis MDCCCXVI. Augustae Taurinorum, in Collegio Convictu Nobilium, a nostris sodalibus iis omnibus disciplinis est eruditus, quibus generosiorum adolescentum aetas impertiri debet. Annos natus septemdecim, quum non minus pietate, quam litteris adolevisset, clarum nomen, divitem censum, insignes honores, et munera amplissima, quibus frui, fungique in patria poterat, humili Iesu paupertati posthabuit, et quovis abiecto fastu, Cherium contendit, ut in nostra Societate se Deo manciparet. In litteris politioribus, quas inibi, tirocinio pietatis exacto, biennium sub Carminatio recoluit, maxime floruit, et in Catullo exprimendo primas inter aequales tulit. Hi omnes eius carmina latina diligentissime conquirebant, et apud se tuebantur, utpote quae venustissima, neque adscito, sed nativo lepore essent adspersa.

Philosophiae curriculum naviter emensus Taurini, illico Iriae, dein Genuae litteras docuit. Subinde Taurinum regressus theologicis disciplinis operam dedit, et sacerdos inauguratus, alteroque religionis tirocinio Melani in Allobrogibus confecto, Taurinum tertio se contulit, ut alumnis Collegii Convictus Nobilium historiam traderet. Qua in disciplina explananda aliis tantopere praestitit, ut eo tempore opellas historicas etiam vulgaverit,

quarum titulos infra subiiciemus. Anno MDCCCXLVIII, quo Societas Iesu a Subalpinorum ditione expulsa, ingentem rerum suarum iacturam tulit, Centurionus in eadem fortuna versari, atque in exilium pelli maluit, quam in patriam se recipere, et avitis opibus frui. Itaque Anicium in Galliam, dein Lutetiam Parisiorum secessit.

Rebus italicis in integrum restitutis, Neapolim primum, dein Romam venit; ibique Henrico Vasco, una cum Iosepho Bayma, magno fuit adiumento in opere conscribendo de nova studiorum ratione in nostras scholas invehenda. De quo argumento fusius in Vasci elogio loquemur. Ea tempestate grammaticam vernaculam rudiorum captui accomodatam, et bene morata scriptorum italicorum excerpta, aliasque opellas in vulgus protulit. Postmodum, quattuor religiosae perfectionis vota professus, magisterium pietatis in Collegio Massae-Ducis iniit, concionatoris munere est functus, aliaque praestitit, quibus alumnorum eius collegii bono litterario, et morum integritati prospexit.

Diu etiam Bastiae in Corsica est commoratus; ibique in publicum egressus, verba pro sacro suggestu ad populum habuit, aliaque pietatis ministeria obire coepit. Hinc Genuam contendit, et reliquum vitae tempus in sacris concionibus, vel clero, vel religiosis familiis, vel christianae plebi, hac eadem in urbe, vel in aliis compluribus, assidua vice tradendis, confecit. Orator fuit probabilis, disertus, perspicuus, atque omnigenis auditoribus acceptissimus. Plurima concionum volumina, quae decies et vicies sunt edita, posteritati consignavit; quarum concionum nonnullae gallice et hispanice sunt redditae. Partem maximam in usum cleri, minus eruditi, vel pauperioris, sunt confectae, atque ad plebis minutae et puerorum captum accomodatae. Hac de causa, Italiae totius per urbes et oppida, brevi temporis lapsu, sunt diditae.

De religiosis Centurioni virtutibus, haec praecipue memoratu digna existimo. Moderatoribus dicto audiens fuit, ut qui maxime; neque ullum unquam laborem suscipere, vel locum adire, tempore intempesto, vel itinere insolenti, detrectavit. Oculorum caecitatem fere plenam, magna animi tranquillitate, viginti et amplius annos est perpessus; quo etiam tempore, aliena usus

opera, vel legere, vel scribere non destitit. Tanta fuit praeterea caritate et comitate, ut non modo nulli unquam aditum negaverit, sed omnes libentissime exceperit, atque humanissime habuerit. Avitae pietatis memor, ea in aegrotos et pauperes misericordia impulsus, qua iam inde a puero afficiebatur, ingentem pecuniae vim, quae sibi ex asse paterno obvenerat, facultate Apostolica obtenta, ac testamento tempestive obsignato, partim patrio nosocomio legavit, partim in pauperum levamen erogavit. Neque prorsus provinciae suae egestatem oblivioni dedit.

Itaque Centurionus generis claritudinem, doctrina, fide et pietate exornavit. Quamquam enim nonnullis opinionibus adhaesit, quas liberales vocamus, has tamen publicas facere religioni duxit. Quapropter sunt improbandi, qui, illo vita functo, aliquam ex eius epistolis, qua huiusmodi opiniones tuetur, invulgare sunt ausi. Quum annum sextum et sexagesimum attigisset, ibi mortalitatem exuit, ubi eam induerat. Memorati nosocomii curatores, grati animi ergo, statuam illi e marmore posuerunt, titulo insculpto, quem infra subiicimus.

NOVIT · IVSTVS · CAVSAM · PAVPERVM

(PROV. *c.* XXIX. *v.* VII)

IL · SACERDOTE · D. · C. · D. · G.

GIOVANNI · BATTISTA · CENTURIONE

DEI · PRINCIPI · DEL · S. · R. · IMPERO · E · DI · GORRETO

VISSE · ANNI · LXVI

RARO · ESEMPIO · D' · UMILTÀ · E · BENEFICENZA

MORÌ · IL · VI · MAGGIO · MDCCCLXXXII

MEMORE · DELLA · PIETÀ · DEGLI · AVI

LEGANDO · OGNI · SUO · AVERE · A · QUESTO · SPEDALE

AL · BENEFATTORE · INSIGNE

I · RETTORI · DELLA · PIA · OPERA

PONEVANO · PUREVOLE · RICORDO

MONVMENTVM

P. IOANNIS BAPTISTAE CENTVRIONE S. I.

IN VALETVDINARIO VRBANO (GENVAE)

OPERA EDITA

1° *Compendio della storia della real casa di Savoia ad uso delle case d'educazione.* Torino, Marietti, 1846, 16°.

2° *Storia antica.* Ib., id., 1846, 16°.

3° *Storia sacra.* Ib., id., 1848, 16°.

4° *I principali fatti della storia sacra dell'Antico Testamento, distribuiti in 36 lezioni, con una Cronologia e due carte geografiche, per cura di un Padre d. C. d. G. ad uso della prima età.* Roma, co' tipi di Marco e Lorenzo Aureli, 1852, 16° pp. 120.

5° *Fioretti di letteratura e di morale, ossia 250 brani di prosa o di poesia, atti a formare la mente ed il cuore della prima età, tolti da buoni autori, per cura del P. G. B. Centurione d. C. d. G.* Roma, dalla tipografia di Bernardo Morini, 1853, 8° pp. XIII-171 (pluries editum).

6° *Grammatica elementare della lingua italiana, ad uso della prima gioventù, compilata dal P. G. B. Centurione d. C. d. G.* Ib., id., 1853, 8°, pp. XV-240 (septies editum).

7° *Florilegio di preghiere e di considerazioni cristiane, ricavato da autori antichi e moderni, e dato in luce da G. B. Centurione d. C. d. G.* Bastia, inprim. Fabiani, 1857, 18°, pp. XVI-558 (con incisioni).

8° *Il progresso per mezzo del Cristianesimo. — Conferenze di Nostra Signora di Parigi pel Rev. P. Felix d. C. d. G. tradotte da G. B. Centurione della medesima Compagnia.* Vol. primo, anni 1856 e 1857. Genova, tipografia della Gioventù, 1861, 8°, pp. 408. — Vol. secondo, anni 1858 e 1859; Ib., id., 1861, 8°, pp. 458. — Vol. terzo, anni 1860 e 1861; Ib., id., 1862, 8°, pp. 482. — Vol. quarto, anni 1862 e 1863; Ib., id., 1865, 8°, pp. 447. (Etiam Neapoli editum).

9° *Alcune prove della Divinità di Gesù Cristo, contro le empie asserzioni di E. Renan nella sua* — Vita di Gesù — *di G. B. Centurione d. C. d. G.* Genova, tip. di Gaetano Schenone, 1863, 8°, pp. 32.

10° *Rivista dell'opera intitolata* — Misteri del Chiostro Napoletano. Memorie di Enrichetta Caracciolo dei Principi di Forino, ex monaca

benedettina — *scritta dal P. G. B. Centurione d. C. d. G.* Firenze, tip. di Simone Birindelli, 1864, 16°, pp. 16.

11° *Sermoni e Sermoncini di circostanza con nove brevi discorsi in apparecchio al Santo Natale, composti da G. B. Centurione. d. C. d. G.* Torino, tip. Marietti Pietro di G., 1869, 8°, pp. 224 (sexies editum).

12° *Nuova Filotea, o Florilegio di preghiere o meditazioni, che contiene l'Officio di M. Vergine e dei morti, tre serie di trenta meditazioni, le principali novene, molte laudi sacre etc., etc., compilata da G. B. Centurione d. C. d. G.* Torino, tip. Pietro di G. Marietti, 1870, 18°, pp. XVI-702.

13° *Quattro decadi di Panegirici sacri, composti da G. B. Centurione d. C. d. G.* Ib., id., 1870, 16°, pp. 486 (alibi etiam editum).

14° *Omelie brevi e popolari sopra tutti i Vangeli delle Domeniche dell'anno, con un'Appendice di discorsetti sacri in alcune feste o circostanze, composti da G. B. Centurione d. C. d. G.* Torino, tipografia di Giulio Speirani e Figli, 1872, 8°, pp. 498 (pluries est editum, et hispanice etiam versum et Matriti evulgatum).

15° *Nuovi Panegirici sacri di Nostro Signore, della Beata Vergine e di alcuni Santi, composti dal P. G. B. Centurione d. C. d. G.* Torino, Collegio degli Artigianelli, 1874, 8°, pp. 192.

16° *Piccola Biblioteca predicabile del P. G. Battista Centurione d. C. d. G.* Modena, tip. dell'Immac. Concez. r. a. (1884-5) 16° 7 volumi, pp. XII-438, 390, 187, 312, IV-348, 472, 306.

17° *Le Trésor du Pretre etc. par le R. P. Mach, jesuite... contenant des additions considerables... par Pacceti... Gury, Guerin et Centurione jesuites.* Paris, chez Ch. De Plaisia, rue des Missions, 43, (1873?) 8°, 2 vol.

18° *Isaïae Carminati S. I. Auditorum Cheriensium Carmina sacra edidit Salvator Casagrandius ex eadem Societate.* Excudit Augustae Taurinorum Vincentius Bona, Regis Italiae officinator librarius, anno CIↃ IↃCCC XCVIII. (In hoc libello plurima carmina invenies a I. B. Centurione concinnata ad stylum Catulli, elegantissima sane, et digna oppido, quae posteritati mandarentur).

19° Multam operam contulit in libro conscribendo Henrici Vasci, cui titulus — *Il* Ratio studiorum *adattato ai tempi presenti...* — de quo videsis inferius elogia Iosephi Baymae et Henrici Vasci.

20° Exstat demum in commentariis, quae inscribuntur — *La Civiltà Cattolica* — eius dissertatio, ni fallor, *Dell' Educazione;* cuius tamen pars postrema a Carolo Curcio est confecta.

Quae de Centurione scripsi, ex tabulario Provinciae Taurinensis, et relationibus sodalium deprompsi.

IOSEPHVS GIORDA

XIV.

IOSEPHVS GIORDA

Tametsi hic totus fuit in egregiis facinoribus occultandis, quae religioni et humanitati provehendae plurima patravit, tamen efficere non potuit, quin multa in hominum notitiam venirent. Itaque duplici nomine eius elogium conscribimus; quod celeberrimus exstitit, et celebritati nunquam studuit.

Natus est Cumbevianae in provincia Taurinensi, anno a Christi nativitate MDCCCXXIII, et in nostram Societatem inscriptus Cherii, aetatis suae anno altero et vicesimo (1). Pietatis fundamenta iecit praevalida; et iam inde a primis speciminibus plurima virtutum documenta suis contubernalibus exhibuit. Hoc de Giorda adhuc tirone relatum accepi. Quamquam linguae gallicae scientissimus erat, hanc tamen ita coram ceteris tironibus pronunciabat, ut si illam vix a primo limine salutavisset. Eo qui secutus est anno, Taurinum est missus, ut in Collegio Sanctorum Martyrum philosophiam ac theologiam recoleret; etenim, antequam Societatem nostram ingrederetur, his disciplinis operam iam dederat. Subinde sacerdotio insignitus, Iriam contendit, et in Nostrorum collegio logicam, metaphysicam et ethicam tradidit. Pari tempore aegrotis valetudinarii urbani, et carceribus detentis invisendis addictus est. Anno MDCCCXLVIII, ob rerum civilium immutationem et provinciae nostrae subversionem, se Iavenum apud suos recepit, et patruo sacerdoti curioni iam senescenti,

cuius ope a prima aetate in multis rebus sublevatus fuerat, vicem reddens, plurimo exstitit solatio ac praesidio.

Anno MDCCCLI, ab Alexandro Ponza, qui Franciscum Pellicum in provincia taurinensi S. I. regunda exceperat, Massiliam est accersitus, ut exinde in Corsicam se traiiceret, et Episcopo Adiacensi in Christifidelium salute procuranda subsidio veniret. Porro Giorda, nuncio accepto, confestim imperata faciens, matri valedixit, et clam patruo, morbo gravissimo in lecto decumbente, in Corsicam se transduxit. Quo cum venisset, insulam sacris expeditionibus vicatim perlustrare coepit. Fama virtutis, ac praecipue charitatis, qua omne genus hominum, veluti pater filios, excipiebat, et peramanter amplectebatur, illum praeibat. Itaque multitudo copiosa ad eum confluebat, et augebatur in dies.

Hanc porro Giorda magno ardore alloquebatur, ut omnium animos sibi captaret, et quo volebat perduceret. Itaque complures a vitiorum coeno, in quo iamdiu demersi iacebant, brevi temporis lapsu penitus abstraxit, atque ad omnigenam virtutem sectandam traduxit. Eo audito, ad eius pedes certatim se abiiciebant, quo suas quisque culpas rite faterentur, ut tempus ad multam noctem esset ducendum, neque tamen cunctis unus Giorda satis facere posset. Nonnulli sunt reperti, qui triginta, quin etiam quadraginta amplius annos, Sacramento Poenitentiae abstinuerant; aliique fuere, qui nudis pedibus in viam longissimam se dederunt, ut virum, quem caelo sibi missum aiebant, coram viderent, atque eius ope in Dei gratiam redirent. Vir quidam ab eo humanissime exceptus, postquam Deo creatori suo conciliatus est, tanta laetitia est perfusus, ut profiteri non dubitaverit, se ingentem pecuniae vim libenti animo soluturum fuisse, si hoc uno pacto, tanto gaudio potiri potuisset.

Pacis sequester, in litibus dirimendis, odiis tollendis, atque animis pacandis, qui ea in insula parvis momentis ad internecionem exardescere consueverunt, quam maxime praestitit. Eo pro suggestu perorante, bene multi passim assurgebant, suum quisque inimicum, si forte adesset, conquirebant, eoque invento, in lacrimas effusi, in amplexum ruebant, ac veniam subiectissime implorabant. Nonnulli exstitere, quos amici, proceres, curiones

sacri, et ipse Episcopus ad odia ponenda diu multumque essent hortati, nec quidquam profecissent; at Giorda puncto temporis inter eos pacem conciliavit. Si qui vero pertinaciter in sententia persisterent, in genua procumbens, flens ac rogans, non antea consurgebat, quam, superante Dei gratia, rem obtinuerat. Itaque olim semihorae spatio ad pedes hominis obstinatissimi minor genu permansit. Pari modo male parta restituebantur, connubia male inita ad Ecclesiae leges instaurabantur; libri haeresi infecti, vel obscoeni ad eum, ut igne absumerentur, undique afferebantur. Homo fuit, apud quem huiusmodi libelli venales prostarent, quique vulgo professus esset, neminem unum sub sole reperiri, cuius opera a nefario quaestu deterreri posset. Nihilosecius, Giorda viso, auditoque, libellos omnes e vestigio in unum collectos, ad eum flammis comburendos detulit, atque una est obtestatus, si quando opportunum videretur, se paratum esse eos ipsos illa in platea igni tradere, in qua antea venum ibant.

His rebus facile intelligitur, quanto Giordam amore omnes prosequerentur, et quo studio incenderentur, ut dicto audientes essent, eumque in discriminibus incolumem praestarent. Eum enim sua quisque vita cariorem habebant. Itaque olim plurimi adolescentes, ac viri magni animi et roboris eum armati in templo circumsteterunt, ut ab homine nefario, potentissimoque, qui eius verba male interpretatus, de vindicta acerbissima inibi sumenda consilium inierat, ad extremum defenderent. Hos nempe non latebat Giordam, parentibus suis, senio confectis, et morbo laborantibus nuncio remisso, sese illam in insulam e continentibus terris transmisisse, non lucri causa, sed ipsorum salutis sempiternae gratia; eundemque nullis unquam laboribus parcere, neque ullam valetudinis rationem habere, ut animarum bono prospiceret. Eum noverant praeterea omnigenis virtutibus a natura donatum, integrum, urbanum, prudentem, doctum, facundum, et nihilominus pudoris ac modestiae studiosissimum, qui suis viribus minime fideret, sed Deo unice inniteretur, eique quidquid prospere gereret, acceptum referret; quod vero minus feliciter ageret, sibi culpae tribueret.

Sub exitum *missionis* sacrae, quam in oppido Lurio obiit, nuncii sunt allati, quibus certior est factus, matrem suam iam in

eo esse, ut vita excederet. Itaque vehementissimo doloris ictu perculsus, et quod insuper, paucis post diebus quam Iavenio profectus erat, de patrui sui obitu cognovisset, populo iam convocato, suggestum conscendit, et in suprema concione de acerbissimo nuncio accepto auditores commonefaciens, eorumque precibus matrem commendans, « Mater mea, inquit, in proximo est, ut animam agat; et iam fortasse diem suum obiit. Hanc equidem deserui, ut vos quaererem. Salutis vestrae causa, mihi modo eius invisendae, quae me in lucem dedit, facultas eripitur; eiusque frontis sudorem abstergere, oculos comprimere, corpus terrae mandare, eique vale supremum dicere non licet ». Quibus dictis, a lacrimis temperare non potuit. Tum vero omnis multitudo gemitu ac fletu templum omne complevit; et magna hominum caterva, qui eius vocibus antea pertinacissime obstiterant, ad eum accessere, enixe rogantes, ut, quoniam propediem hinc esset abiturus, sibi admissa fatentibus aures pro sacro Poenitentiae tribunali praebere ne detrectaret. Quo facto Giorda adeo est commotus, ut gaudium luctum exceperit. Itaque non de itinere ad matrem cogitavit, sed de novis expeditionibus suscipiendis in maximo Corsicae promontorio, quod ad Septentriones vergit.

Unius anni spatio, viginti oppida perlustravit, in quibus singulis ad denos, vel etiam quinos denos dies est commoratus, ut incolas ad religionem et bonos mores informaret. Quo etiam tempore plurimi eum legati peregre convenerunt efflagitatum, ut ad suos pagos se conferret, et deerrantes ad rectum virtutis iter sacris concionibus revocaret. Quorum voluntati, quamvis eos bona spe complevisset, obsequi non potuit. Ii vero, apud quos diverterat, aegre admodum eum abire sinebant atque abeuntem, longum viae spatium agmine perpetuo comitabantur, et plurimis precibus exposcebant, ne diu abesse vellet; ac demum lacrimis suffusi, ab eo, veluti filii a patre, divellebantur (2).

Decedente anno MDCCCLII, a suis praesidibus est revocatus, et Brictinorium in Aemiliam missus; ibique theologiae dogmata sacrorum alumnos naviter docuit, eosdemque pietatis magister ad omnem religionis normam instituit. Biennio post, iterum in Corsicam est accersitus, ut in sacras *missiones* denuo incumberet.

Tum autem ingens inter Corsos et Brictinorienses orta est contentio; quandoquidem utrique eius discessum acerbe ferebant; reditum vero cunctis votis ac precibus expetebant. Itaque anno insequenti, qui annus fuit MDCCCLV, Brictinorium rursus se conferre iussus est, ut in sacro ephebeo magisterio pietatis fungeretur, et theologiam morum explanaret. Quibus muneribus satis fecit cumulatissime.

Id autem manifeste apparuit, tum Iosepho Baymae, supremo ephebei moderatori, sodali Societatis nostrae praestantissimo, clarissimoque, qui eum, uti hominem doctum et sanctum, ephebis digito passim ostendebat; tum ephebis ipsis, quos Giorda, non tam vocis, quam exempli magisterio, ad omnem pietatem sollertissime informabat. Porro nunquam ad eos publicum sermonem habebat, quin antea se in cella loris verberasset. Hoc eo pertinebat, ut illam sapientiam a Deo uberius hauriret, qua eorum animos imbuere optabat. Id vero ephebos neutiquam latebat. Quam ob rem complures inter eos exstitere, qui, tanta hominis pietate et doctrina permoti, mundo nuncium remiserint, et in nostram Societatem, vel in alias religiosas familias, pedem intulerint. Horum praecipuus fuit P. Paschalis Tosius, qui postea Alaskae apostolus est nuncupatus.

Neque minus cives Brictinorienses Giordae sanctitatem perspectam habuere; atque eius precibus et asperrimis flagris, quibus, divinam clementiam inclamans, sese usque ad sanguinem concidebat, acceptum retulerunt, quod ab ingentibus terrae motibus incolumes omnes ad unum evaserint. Nihilo tamen secius ipse nullius numeri hominem semet appellare solebat. Quocirca, quum ad quattuor solemnia religiosae professionis vota nuncupanda se comparare iussus esset, nullum non movit lapidem, quo hoc honoris testimonium a suo capite deprecaretur. At frustra; nam eius moderatores, eo magis illum tanto dignum honore censuerunt, quo maiore ipse nisu eundem avertere studebat (3).

Anno MDCCCLIX, quum Subalpinorum rex totam paene Italiam in suam potestatem redegisset, et sodales nostri, undique dissociati, in diversa abirent, Giorda ab iisdem moderatoribus, qui talem eum apud alienos futurum existimabant, qualem apud

Nostros cognitum iudicaverant, in eam Americae partem est missus, quae pars Californiae adiacet, et a Montibus Saxosis nomen invenit. Itaque, quod iamdiu in votis habuerat, in sacris exterarum gentium *missionibus* esse coepit. Ut primum hanc in aciem prodiit, illico fortissime dimicans, egregiam quam constituerat Iesu Imperatori suo operam probavit. Hac de causa, et quod gubernandi prudentissimus erat, brevi post tempore, omnium sodalium suorum, qui ea in regione versarentur, praeses est renunciatus. Quum igitur summa rerum ei delata esset, incredibile dictu est, quanta virtute provinciam illam administraverit; quot scilicet labores susceperit, pericula adierit, et fructus retulerit.

Loca vastissima, aspera pleraque, praealta, praerupta, gelu rigentia, nivibus impervia, ac belluis ferocissimis infesta, quaqua-versus peragravit. Homines intonsos, incultos, efferatos, more pecudum in silvis, vel in montium latebris vitam agitantes, et bella perpetua inter se gerentes, equo invectus, vel pedes, invisit, ut eos, lustrali fonte expiatos, Iesu Servatori lucraretur. Magnae animae prodigus, nullis unquam difficultatibus est impeditus, quominus muneri suo satisfaceret. Itaque in multis vitae periculis est versatus. Quum olim flumen altissimum traiiceret, aquae cumulo glacie concreto est impetitus, ut abreptus, iam in eo esset, ut vitam amitteret. At enim quidam indigena magno animo praesto fuit, et semianimum in sicco constituit. Alias in barbarorum manus incidit, qui eum ad ludibrium veste exspoliarunt, et male mulcatum expulerunt. In morbos etiam gravissimos est implicitus, ut in vitae discrimen devenerit. Tamen animum non despondit, et pluries ad eosdem barbaros homines est regressus, ut illos divini verbi pabulo reficeret, aures admissa fatentibus accommodaret, eosque in matrimonium rite iungeret, aegros inviseret ac solaretur, calamitosos sublevaret, egenosque, pro suis viribus, ab inopia prohiberet. His rationibus illorum animos sibi ac Deo sensim devinxit, et complures ad civilem cultum et christianam religionem perduxit.

Multus praeterea fuit in eorum simultatibus dirimendis, vel litibus componendis. Saepe etiam inter illos et magistratus Reipublicae Americanorum, qui acerbissimum in eos imperium exercerent, pacem conciliavit; eorumque negotiis ita studuit, ut

quae ad civiliorem cultum opus essent, minore impendio a mercatoribus alienigenis sibi pararent. Litteras praeterea in Europam ad suos moderatores dedit, praesertim ad P. Ioannem Matthaeum Ciravegnam, provinciae taurinensis praepositum, ut sibi suisque, collata stipe, subsidio venirent. Itaque indigenae his rebus permoti, et quod nullum periculum, ipsorum salutis causa, recusaret, ferocissimo ingenio posito, se totos eius fidei permittebant, et omnia imperata se facturos pollicebantur. Quamque fidem semel dederant, hanc integram perpetuo praestabant.

Quam ob rem haud facile narraverim quam brevi temporis lapsu, illarum regionum facies immutata sit. Dei ministros, ac praecipue Giordam, uti viros coelo caros, et divinitus sibi missos excipiebant; et qui antea in eos longe visos, facta eruptione, ferro irruebant, ut hi, pedum velocitate confisi, vel equo calcaribus incenso, vix ad salutem se reciperent, modo cum coniugibus ac liberis obviam iis peregre venientibus procedebant; atque horum adventus exspectatissimi triumphi speciem prae se ferebat. Ad hoc nihil magis cavebant, quam ne, iis absentibus, ad ignaviam et socordiam dilaberentur, neve ullam christiano nomini labem inferrent. Quin immo suos mores ad exemplum sacerdotis catholici componere pro se quisque studebat. Si quid vero pro humana imbecillitate peccare accidisset, in genua provoluti veniam ab eo, uti a Dei legato, petebant, et se non modo privatis, sed publicis, quas statuisset, poenis libentissime subiiciebant. Primores, ac duces ceterorum, quas culpas forte admiserant, palam fatentes, se ipsos, hanc ob causam, plectere non verebantur, aut ab aliis plecti ultro patiebantur. Dein plectentium manus amicissime osculati, sacram aedem succedebant, rei divinae intererant, et angelica dape recreabantur. Quibus rebus fiebat, ut qui advenae novam illam christianam rempublicam inviserent, eandem primaevos christianorum mores referre fatentur, nonnulli etiam, gaudio perfusi, a lacrimis temperare nequirent (4).

Neque minorem virtutis commendationem, praecipue charitatis, suique contemptus, apud nostros sodales, quam apud alienos, dum in America degebat, Giorda est consecutus. Quamquam totius *missionis* moderator supremus erat, tamen, vixdum in aliquam Nostrorum stationem pedem intulerat, praefecturam,

quam valetudinis vocamus, sibi uni vindicabat, et infirmorum curam suscipiebat. Quum olim iter faciens rescivisset, P. Iosephum Caruanam in gravem morbum incidisse, extemplo via divertit, ducenta passuum millia magnis itineribus confecit, ei affuit praesens, et infirmarii instar praesto fuit, ut etiam noctu secus eius pedes humi stratus cubuerit; neque antea ab eo discesserit, quam, post integrum mensem, eius valetudinem in tuto positam cognoverit. Hoc idem ceteris suis, qui peregre graviter infirmarentur, praestare consueverat. Sodales aliquid peccantes suaviter admodum de officio admonebat, interdum verbo, at saepius scripto; quippe eorum vultum, pudore suffusum, aspicere non poterat, quin et ipse erubesceret, indoleretque. Ita enim a natura comparatus erat, ut gauderet cum gaudentibus, et fleret cum flentibus. Munia abiectiora prae ceteris diligebat. Quum in domum quandam nostrorum sodalium venisset, ut eam pro potestate praesens inviseret, neque hoc munere rite fungi posset, quod omnes, tum nostri, tum indigenae, tritico exterendo iam essent parati, eos est percontatus, num labori explendo quisquam deesset. Quum audivisset coquum desiderari, « En, inquit, hominem. Equidem coqui partes explebo ». Itaque, cunctis obstupentibus, et frustra reluctantibus, per triduum prandium accuravit. Hoc demum de Giorda a quibusdam praedicatum accepi, quod eius animi demissionem magnopere commendat. Nimirum Deo vovit, se domus moderatori, in qua degeret, in omnibus obtemperaturum, quae suam auctoritatem minime spectarent, sed privatum hominem respicerent. Porro Iosepho Caruanae, qui, hac re cognita, eum Sanctae Teresiae Matris legiferae exemplum imitari affirmavisset, subrisit, nec quidquam respondit (5).

In tam longinquis regionibus, et ab omnium disciplinarum cultu abhorrentibus, Giorda non minore doctrinae, quam sanctitatis fama claruit. Crebras disputationes de religione catholica, praesertim de Romani Pontificis auctoritate ac iuribus, cum iis haereticis habuit, qui Christi ovilis pastores se nuncupant quidem, re autem verà lupi, ovium pellibus induti, appellandi forent. Hos, pro ea qua pollebat divinorum Librorum scientia, plane confecit. Qui subinde, ob religionis inscientiam, morum pravi-

tatem, atque auri sacram famem, cuius explendae causa illuc venissent, nec quidquam pensi et sancti haberent, quum se catholicis contemptui esse animadverterent, alio abeuntes, optatissimum omnibus beneficium obtulerunt. Porro satis mirari nequibant, virum tanto praeditum ingenio et doctrina, Italiam atque Europam, in cuius luce versari, et in honore haberi posset, adhuc florenti aetate, sua sponte, deseruisse; et in extremas mundi partes, inter rudes barbarosque homines, sese penitus occuluisse.

Praeter linguam gallicam, quam, uti docuimus, ab adolescentia egregie noverat, et anglicam, quam postea plane perdidicit, tres eorum populorum dialectos, asperrimas atque usu difficillimas, probe tenuit. Lexicon dialecti praecipuae, quam Kalispeliam vocant, conscripsit, et praelo librario, magno sumptu coëmpto, Montium Saxosorum indigenis edendum commisit. Alios etiam libellos, vel eodem sermone, vel anglico, in lucem dedit, quos infra recensebimus. Complures epistolas, christiana sapientia insignes, ad nostros, aut ad alienos misit, quibus res praecipuas, a se, vel a suis sodalibus in sacris expeditionibus patratas, accurate admodum est persecutus. In his de se quidem minimum, vel tacito nomine, de ceteris vero plurimum et nominatim loquitur. Porro hinc est effectum, ut quamplures nostrae Societatis alumni, ingenio, doctrina, et pietate praestantes, ad Montes Saxosos sese transferrent, et Giordae, in ea religiosa vinea excolenda, subsidio venirent. Itaque huius sacrae expeditionis operarii tantopere succrevere, ut qui ante Giordae adventum septeni, vel octoni essent, postmodum, eo adhuc vivo, ad quadraginta numerarentur. Quocirca novas sodalium nostrorum stationes in ea regione constituit, non modo apud indigenas, sed etiam apud alienigenas, quos *Albos* appellant.

Quum igitur tantus esset, tantique fieret ab omnibus, complures Episcopi, vel coram, vel scripto, eum in gravissimis quaestionibus uti oraculum consulebant, seque, suosque eius precibus commendabant. Enimvero, Giorda vita functo, magno numero epistolae, aliaque Episcoporum documenta existimationis, et benevolentiae testimonia erga illum, in eius scriniis sunt reperta; quae omnia, uti ipse praescripserat, combusta sunt. Hos inter praecipuus exstitit Carolus Seghersius, Vancuveriensium

Episcopus, vir sanctissimus, qui vitam pro Christi ovibus pacisci non dubitavit. Is itaque, quum in eo esset, ut in Alaskae regiones remotissimas primus omnium proficisceretur, quo illas nempe Deo lucrifaceret, genibus flexis, Giordam enixe rogavit, ut signo crucis sibi bene precari vellet. Quum vero hic, illico in genua procumbens, idem ab eo expostulasset, neuter surrexit, donec uterque utrique, eodem temporis vestigio, est obsecutus (6).

Denique Pius IX, Pontifex Maximus, quum tot praeclara Giordae facinora auribus accepisset, Montium Saxosorum Episcopum eum creare statuit. Contra ea, vir modestissimus, hoc nuncio sibi allato, totis artubus contremuit; et epistolas ad suos sodales, quorum auctoritas Romae plurimum valeret, extemplo dedit, ut impendentem, quam appellabat, calamitatem arceret. Hac spe frustratus, aliam ad aedes vaticanas epistolam misit, qua ostendere contendit, futurum, ut Episcopi munus, si forte sibi demandaretur, non in salutem, sed in perniciem rei christianae verteret. Se nimirum tot animi infirmitatibus obnoxium esse, totque corporis incommodis laborare, ut nullo prorsus modo, eo sanctissimo et gravissimo munere rite fungi posset. Itaque Summus Pontifex singularem hominis modestiam vehementer miratus, et veritus fortasse, ne, si in sententia permaneret, in nimiam animi aegritudinem eximium virum iniiceret, morem ei gerendum existimavit (7).

Defectus viribus, et apoplexi correptus, quum ope P. Ravallii, Societatis nostrae sodalis, artis medicae periti, plane convaluisset, nil sibi reliquum fecit, ut praefectura totius *Missionis* se abdicaret. Voto potitus, hanc provinciam P. Iosepho Cataldo administrandam cessit; et sodalibus, qui in statione Sanctissimi Cordis Iesu degebant, est praefectus. Sexennio elapso, quo inibi etiam Curionis sacri vicibus fungebatur, morbo cardiaco est absumptus, aetatis suae anno undesexagesimo. Ad extremum ei adstitit P. Iosephus Caruana, et beneficiorum memor, perinde ac si filius, vicem reddidit supremam.

Giordam vita functum Americanorum ephemerides maximis laudibus extulerunt, utpote virum de republica, tum sacra, tum civili, optime meritum; cuius nimirum pietate et doctrina, tot

regionibus auspicatior, ac prope aurea aetas illuxerit. Montium Saxosorum Apostolus, illiusque *Missionis* sacrae fundator alter iure est appellatus; itemque cognomine Bonus, quin etiam Magnus vocatus. Luctu et lacrimis, quae potiora amoris atque existimationis signa habentur, omnes eorundem Montium indigenae, una cum advenis, eum sunt prosecuti. Ad Giordae sepulcrum etiam nunc complures convenire solent, ut pacem ei et requietem sempiternam a Deo precentur, aut illius se precibus commendent, quo serius ocius eius suavissimo adspectu, et alloquio apud Superos sibi iterum liceat frui. Etenim eorum nemini est dubium, quin fortissimus Christi miles, tot inferorum hostium manubiis onustus, egregie actae militiae munera retulerit, et continuo e terris ad Beatorum sedes evolaverit.

OPERA EDITA ET INEDITA

1° *Estratto di alcune lettere del P. Giuseppe Giorda Superiore delle Missioni della Compagnia di Gesù nelle Montagne Rocciose al R. P. Provinciale della Provincia Torinese, scritte dal 1863 al 1865.* Roma, coi tipi della *Civiltà Cattolica,* 1866, 8°, pp. 24.

Complures etiam eius epistolas editas reperies in his operibus: — I. *Lettres des Scolastiques de Laval.* Octobre 1863, p. 9-13. — 5 Mai, 20 Août 1864; — Mars 1865, p. 18-20 — Octobre 1865; — Octobre 1866, p. 6-7; — Avril 1870, p. 10-15. — II. *Woodstok Letters*, T. IX, p. 27-28. Washington Territory, 21 Oct. 1879.

2° *A Dictionary of the Kalispel or Flathead Indian Language, compiled by the Missionaries of the Society of Iesus.* Part. I. Kalispel-English. St Ignatius Print. Montana, 1877-78-79, 8°, pp. 644.

3° *Appendix to the Kalispel-English Dictionary, compiled by.....* Ibidem, 1879, 8°, pp. 36.

4° *A Dictionary of the Kalispel or Flathead Indian Language, compiled by.....* Part. II. English-Kalispel. — Ibid., 1877-78-79, 8°, pp. 456.

5° *Lu tel Kaimintis holizunten kuitl smii mii. Same Narrative, from the Holy Bible, in Kalispel. Compiled by.....* Ibid., 1879. 8°, pp. 140-14.

6° *Szmiméis Iesus-Christ. A Catechism of the Christian Doctrine in the Flathead or Kalispel Language compiled by.....* Idid., 1880, 8°, pp. 45.

A. *Relazione delle Missioni date in Corsica nell'anno 1851-52* dal P. Giuseppe Giorda d. C. d. G.

Haec relatio, quae in tabulario Provinciae Taurinensis asservatur, ab ipso Giorda conscripta est.

NOTAE

(1) Sunt qui scripserint, Giordam Iavenii, alii Cameranae, alii Podivarini in Subalpinis esse natum. Equidem in tabulario Provinciae Taurinensis schedulam inveni, qua ipse Giorda se Cumbevianae (italice Cumiana) in Dioecesi Taurinensi in lucem editum esse, scriptum reliquit.

(2) *Relazione delle Missioni date in Corsica nell'anno 1851-52 dal P. Giuseppe Giorda...* De hac relatione vide supra p. 116, **A**.

(3) Quae de Giorda Brictinorii commorante narravi, partim vidi, partim a sodalibus ibidem degentibus accepi.

(4) Quae de Giordae expeditionibus in regiones Montium Saxosorum sum prosecutus, ex eius epistolis praecipue excerpsi, quarum complures sunt editae. Harum nonnullae asservantur in tabulario Provinciae Taurinensis Societatis Iesu. In his postremis licuit legere, Giordam ipsum, eiusque comites, quum primum ad barbaros homines, quibus est nomen *Pedes Nigri*, se contulissent, ab his exceptos esse ea iniqua ratione, quam retulimus. Hoc propterea fortasse accidit, quod ea tempestate, *Pedes Nigri* cum Americanis, quos *Albos* appellant, bellum gerebant. Nonnulla etiam deprompsi e Giordae notitia, a P. Laurentio Paladino exarata, et typis evulgata in his ephemeridibus: *Woodstock Letters*. Vol. XI, N. 3 — September 1882. — Woodstock College Print. p. 322. — In hac legimus Giordam anno MDCCCLVIII in Americam se contulisse. Verum anno insequenti, uti constat ex annuis tabellis, quas Catalogos nominamus, adhuc Brictinorii morabatur.

(5) Quae omnia in hac paragrapho scripsi, sunt excerpta ex epistola, quam P. Iosephus Caruana ad me dedit anno MCMIII. Haec modo asservatur in tabulario Provinciae Taurinensis S. I.

(6) Hoc rescivi a P. Georgio De-la Motte, qui modo Montium Saxosorum *Missionis* est moderator supremus.

(7) Haec quidem a compluribus meis sodalibus audivi, et praecipue a P. Iulio Protasi, ad quem Giorda ab America litteras misit, ut, in tanto discrimine, Romae, pro suis viribus, eius causam tuendam susciperet.

IOANNES BAPTISTA ROSTAGNO

XV.

IOANNES BAPTISTA ROSTAGNO

In urbe Taurinorum principe vitae initium fecit, anno christiano MDCCCXVI; et in nostra Societate stipendia mereri coepit Cherii annos natus sexdecim. Inibi Isaïae Carminatii discipulus fuit ingeniosus, sedulus, experrectus; eamque litteris politioribus operam impendit, ut earum, praecipue graecarum, peritissimus evaserit. At severioribus disciplinis perdiscendis magis a natura comparatus, in harum curriculo longius processit. Eius ingenii celeritatem hinc facile coniicimus. Quum Augustae Taurinorum philosophiae studeret, sodales suos iuniores *chimiam* docebat; quum vero ibidem theologiae operaretur, mathesim iisdem tradebat. Quod tamen impedimento non fuit, quominus philosophus et theologus plane summus efficeretur.

Eadem in urbe sacerdos inauguratus, mathesim in Collegio Sanctorum Martyrum, Societatis nostrae alumnis complures annos egregie admodum explanavit. Anno MDCCCXLVIII, quod omnia in Subalpinis transversa agebantur, Taurino profectus, Anicium in Galliam se contulit, et ius canonicum, atque historiam, quam naturalem appellamus, iuvenibus provinciae lugdunensis naviter tradidit. Dolae etiam fuit, ibique tertio pietatis anno exacto, ad sollemnem quattuor votorum professionem evectus est. Subinde Lovanium, in Belgarum urbem nobilissimam, est accersitus, ut in Societatis nostrae athenaeo theologiam dogmaticam enar-

raret. Iam vero ingenii ac doctrinae fama eum apud Belgas iamdiu antecesserat; quandoquidem egregius ille historicus Gallus, ac fama notissimus, cui nomen Crétineau-Joly, in recensendis Societatis nostrae hominibus, qui tum temporis doctrina maxime florerent, Rostagnum, licet annorum undetriginta adolescentem, honorificentissime compellaverat (1).

Quum Lovanii huic muneri cumulate admodum satisfecisset, eiusque ingenii fama, non modo apud Belgas, sed etiam apud alias nationes augeretur in dies, Romam a Praeposito Generali nostrae Societatis est accitus, ut Carolum Passagliam, qui ab eadem Societate defecerat, exciperet, et theologiam dogmaticam in Athenaeo Gregoriano profiteretur. At enim, quod eo tempore haec disciplina non eadem ratione Romae traderetur, qua ipse Lovanii consuevisset, honore et onere detrectato, ibidem constitit annum omnino unum, nobilioribus eiusdem athenaei magisteriis, ubi res postularet, supplendis, libris recognoscendis, et philosophicis ac theologicis iuvenum nostrorum speciminibus excipiendis. Post haec enixe admodum est rogatus, ut scriptoribus commentariorum, qui inscribuntur — *La Civiltà Cattolica* — ingenii sui operam locaret. At ne id quidem munus adiit. Cuius rei causam plane compertam non habeo. Quamquam vero hoc non est tanti, ut lectorem sollicitum habeat.

Itaque Rostagnus Lovanium iterum venit, atque uti illum abeuntem eius auditores magno moerore prosecuti erant, ita redeuntem summa laetitia exceperunt. Quadriennio post, prouti in elogio Rostagni, quod in nostris tabulariis conscriptum asservatur, relatum invenio, actum est de itinere in Russiam ab eo suscipiendo; quod tamen neutiquam suscepit. Cuius negotii gratia in tam longam peregrinationem sese esset daturus, explorare non potui. Verum, converso itinere in Italiam est regressus, et Augustam Taurinorum, dein Novariam contendit; qua in urbe, non vero Vercellis, ut in — *Bibliotheca (Scriptorum) Societatis Iesu* — legitur, sacri ephebei alumnis theologiam morum sex fere annos explicuit, ac demum eiusdem ephebei rector constitutus est.

Vertente anno MDCCCLXX, quum P. Ioannes Matthaeus Ciravegna, provinciae taurinensis praepositus, domum antonianam

cheriensem, templumque cognomine, in pristina Societatis nostrae iura recepisset, Rostagnus eiusdem domus moderator est renunciatus. Hanc novis operibus instauravit, omnique suppellectile instruxit. Erat enim artis architectonicae plurimum sciens, et domibus aedificandis ita praeerat, ut, quod de domo Attici a Cornelio Nepote accepimus, plus in iis esset salis, quam sumptus. Praeterea antiquis eam libris ditavit; utpote qui in his conquirendis, deligendisque maxime valeret. Quae omnia de eo mihi licet praedicare, non solum ut audita, sed etiam cognita. Hoc demum non est conticendum. Anno MDCCCXLVIII quamplurimos ac pretiosissimos nostrarum domuum taurinensium libros, vel abscondit, vel alia ratione in tuto posuit; et postmodum, rebus civilibus pacatis, eos omnes in nostram potestatem restituit.

Postero vitae tempore Taurini constitit; qua in urbe historiae naturalis praeceptor, et agri evangelici operarius exstitit. Praeterea, quod in re domestica administranda plurimum valebat, hoc in munere, ex charitate suorum suscepto, aliquot annos transegit; neque tamen alienos missos fecit. Nam complures hominem consultum adibant; siquidem in eo multum omnino auctoritatis et consilii inesset, ut etiam viri primores, tum cleri, tum populi, et quidam dynasta absolutae ditionis, sententiam in abstrusioribus quaestionibus eum rogarent (2). Ille vero omnes magna benevolentia excipiebat, nec ulli unquam defuit. Equidem Michaëlem Ruam, qui Ioannem Boscum in Salesianorum coetu moderando excepit, de Rostagno narrantem audivi, quod sodalibus salesianis in rebus compluribus praesto fuerit. Itaque maximi a cunctis est factus, et laude omnigena honestatus. Aetate iam inclinata, paralysi correptus, Cherium Taurino est deductus, si forte revalesceret. At morbo ingravescente, quem aequo in exemplum animo diutissime est perpessus, e vivis excessit, anno MDCCCLXXXIII (3).

OPERA EDITA

1° *Elementi di Aritmetica di G. B. Rostagno della Compagnia di Gesù, ad uso delle scuole della medesima Compagnia.* In Torino, per Giacinto Marietti, 1840, 12°, pp. 40. — *Parte seconda.* Ibidem, id. 1841, 12°, pp. 107. — *Elementi.* Ibidem, id. 1841, 12°, pp. 208.

2° Rostagno vita functo, epigramma latinum, ab eo iuniore confectum, ab alio est evulgatum in libello, qui inscribitur: *Isaïae Carminati S. I. Auditorum Cheriensium Carmina Sacra.* Edidit Salvator Casagrandius ex eadem Societate. Excudit Augustae Taurinorum Vincentius Bona, regis Italiae officinator librarius anno CIↃ IↃCCC XCVIII.

NOTAE

(1) *Histoire religieuse politique et littéraire de la Compagnie de Jésus...* par J. CRÉTINEAU-JOLY... Tome sixiéme, Deuxiéme édition. Paris... Mellier Frères... 1847.

(2) Hoc praesertim accidit Monoeci; qua in urbe Rostagnus, consilio suo Carolo III, Monoecensium Principi, magno fuit solatio.

(3) Rostagni elogium confeci ex documentis tabularii provinciae taurinensis S. I., et relationibus sodalium.

IOSEPHVS BOERO

XVI.

IOSEPHVS BOERO

INSULAE-Bonae, Intemeliorum in oppido, vitam iniit anno MDCCCXIV. Nicaeae ad Varum in Collegio Nostrorum litteris politioribus egregiam operam dedit. Eximiae indolis, optimaeque spei adolescens, quo magis aeternitati, quam tempori inserviret, totum se Deo in nostra Societate devovit Romae, aetatis suae anno quinto decimo iam expleto. At vero, anno proxime insequenti, qui annus fuit MDCCCXXXI a partu Virginis, quum provincia Societatis nostrae, quae appellabatur italica, in duas distracta esset, in Romanam scilicet et in Subalpinam, seu Taurinensem, Boerus in hanc est adscitus, et Cherium missus, ut religionis tirocinium conficeret. Quo confecto, Isaïam Carminatium litterarum doctorem praestantissimum inibi est nactus; cuius ductu, quam maximos in politiore humanitate progressus habuit, ut contubernalibus exemplo, praeceptori vero non mediocri ornamento exstiterit. Hac de causa Antonius Brescianius, vir Societatis nostrae litteratissimus, in dialogis pereruditis, quos de Sardorum moribus posteritati mandavit, Boerum, quamvis iuniorem, secum et cum Carminatio copiose disserentem et disputantem inducere non dubitavit.

Tirocinio litterarum posito, Boerus philosophos audivit Taurini. Deinceps Calari in Sardinia rem grammaticam, et litteras honestiores docuit: et Sassari eadem in insula rhetoricam subinde

professus est. Hanc eandem disciplinam Novariae postea tradidit; qua in urbe praeterea tres opellas historicas in lucem dedit. Has inter historicus commentarius de Sancto Gaudentio, primo Novariensium episcopo et patrono praesentissimo, Novariensibus periucundus fuit. Illum enim tanta eruditionis copia, et sermonis venustate exornavit, ut Iosephus Melandrius, vir alioqui sagacissimae naris, stili specie deceptus, Isaïae Carminatio, qui ea tempestate collegio novariensi moderando praeerat, tribuendum censuerit (1). Post haec, ob ingenii excellentiam, quo ceteris anteibat, Romam est missus, ut in maximo lycaeo romano, sacrae theologiae stadium emetiretur. Hoc autem emensus, et sacerdotio insignitus, alterum pietatis tirocinium eadem in urbe exegit, et quattuor religiosae professionis vota emisit.

Apud viros doctos huius urbis, litterarum et scientiarum magistrae, maxime innotuit. Itaque in coetum litterarium, cui nomen ab Arcadia, est adlectus. Nam latine, graece et praesertim italice ita scribebat, ut auctores, quos classicos nuncupamus, plane referret. Nec vero ea solum, de quibus supra mentionem habuimus, sed alia etiam invulgaverat elegantissime concinnata, et uberrima eruditione instructa. Quum igitur, ab ipso litterariae vitae limine, tam bene de religiosa historia meritus esset, nostrae Societatis tabulario est praefectus, et sodali, eiusdem Societatis a secretis, suffecti titulo, socius obtigit. Ad hoc causarum, alumnis eiusdem Ordinis sanctitate celebrioribus in Caelitum album referendis, Postulator renunciatus est.

Quantum his muneribus, ac praecipue postremo, explendis esset idoneus, ita probavit, ut spem praeceptam evicerit. Etenim consilii plenus, laboris patiens, propositi tenax, non inanem operam dedit, ut quamplures ex iisdem alumnis, brevi annorum spatio, ad caelestes honores eveherentur. Eorundem historiam, aliorumque, magno numero, aut integram, novisque additamentis locupletatam, aut in compendium redactam, perpolito stilo enarravit, quo nimirum Danielis Bartolii elocutionem ita expressit, ut nemo magis. Ex his, mea quidem sententia, illa praestantissima est habenda, qua vitam Venerabilis Iosephi Mariae Pignatellii est complexus. Ducentis, et amplius commentariolis Menologium Iosephi Patrignanii auxit. Multa etiam edidit de nostrae Socie-

tatis institutis ac legibus, huiusque haud degenerem filium se praebens, eius facta, iura ac nomen plane vindicavit. Nec tamen interea litteras politiores, quas perpetuo in oculis tulit, missas facere est visus. Nam drama italicum de Vocatione religiosa Sancti Aloisii Gonzagae, studiosae iuventutis praestitis tutelaris, soluta, eademque eleganti oratione elaboravit, et typis excudendum commisit. Epistolas praeterea Pauli Segnerii Senioris, et Danielis Bartolii in lucem prodidit. Ut vero linguam latinam paene intermortuam excitaret, et adolescentibus optima ad imitandum exemplaria proponeret, nonnulla Iuvencii, Cordarae, Parthenii, et Poggii opuscula venustissima publici iuris fecit (2). Quibus in operibus, non elegantis modo, sed etiam diligentis scriptoris laudem cepit; quod videlicet nihil unquam in medium protulerit, quin idoneis documentis comprobaverit. Itaque, qui tabulario nostrae Societatis post Boerum sunt praepositi, eadem illum laude, qua ipse Danielem Bartolium affecerat, sunt prosecuti, quod nempe uterque eiusdem tabularii testimonio perpetuo inniteretur. Anno MDCCCLXX Concilio Vaticano universali interfuit, uti theologus P. Ioannis Baptistae Miège e Societate Iesu, Episcopi Messeniensis et Vicarii Apostolici ad Montes Saxosos.

Ex his satis superque licet cognosci quantum in nostrae Societatis historia, et in republica litteraria ac religiosa illustranda insudaverit. Nihil non egit unquam, omnibusque, qua potuit ope, subsidio fuit. Quapropter maximam apud omnigenos hominum coetus opinionem doctrinae ac virtutis cepit, omniumque sibi benevolentiam demeruit. Igitur, ob tot tantaque merita, et quod insuper Instituti nostri peritissimus aeque ac servantissimus esset, P. Petrus Beckx, Ordinis nostri Praepositus Generalis, vicem reddens, eum sibi adsciscere decrevit. Itaque Boerus ab eo *Adsistens* Italiae est creatus. Hoc munere, quod supremum attingit, ad decem annos sollertissime est perfunctus, ac, non multo post tempore, diem obiit Romae, aetatis anno septuagesimo nondum exacto (3).

OPERA EDITA

1° *Vita del Cavaliere Don Giuseppe Maria Orrù alunno del Convitto Canopoleno di Sassari.* Novara, tipografia Artaria e Comp., 1840, 8°, pp. VIII-140. (Romae etiam est edita eodem anno).

2° *S. Gaudenzio, primo Vescovo e Protettore di Novara; Accademia di poesia e di belle arti, che offrono al publico i Signori Convittori del Real Collegio dei PP. della Compagnia di Gesù.* In Novara, tipografia Artaria e Comp., 1840 (4).

3° *Compendio della Vita di S. Francesco Girolamo D. C. D. G. scritta da Giuseppe Boero della medesima Compagnia.* Novara, tipografia Artaria e Comp. 1840, 18°, pp. 36. (Cum novis additamentis est excusum Romae et Neapoli a. 1841, 1843).

4° *Ad Patres et Fratres Societatis Iesu.* De plena cognitione Instituti, *Opusculum P. Achillis Gagliardi; Romae, MDCCCXLI.* Excudebat Alexander Monaldi, 8°, pp. 110. (Eodem anno editum est Namurci. Altera pars prooemii confecta est a Boero).

5° *Compendio della Vita del Beato Alfonso Rodriguez della Compagnia di Gesù.* Torino, per Giacinto Marietti, 1842, 8°.

6° *Vita di Michele Aiatumo, giovinetto indiano, alunno del Seminario di Boolo nelle Isole Filippine, scritta da Giuseppe Boero della Compagnia di Gesù.* Roma, presso il Collegio Urbano, 1842, 16°, pp. XVI-156. (Huius adolescentis vita conscripta est a P. Niess, et edita Dilingae a. MDCXXIX).

7° *Istoria del Santuario della Beatissima Vergine di Galloro, scritta da Giuseppe Boero della Compagnia di Gesù.* Roma, presso Alessandro Manaldi, 1842, 18°, pp. VI-97 et 6 ff. (Pluries est edita, et gallice versa).

8° *Conversione miracolosa alla Fede Cattolica di Alfonso Maria Ratisbonne, tratta dai processi autentici formatisi in Roma nel 1842.* Roma, tipografia delle Belle Arti, 1842, 12°, pp. 53. (Gallice versa est haec opella Parisiis anno 1843).

9° *Libro delle Parabole evangeliche compilato da G. B. G.,* ossia Giovanni Buongiuochi Gesuita. *Prima edizione romana, conforme in*

tutto al testo originale. Roma, tipografia Salviucci, 1843, 16°, pp. XXIV-174. (Hanc opellam prior ediderat Neapoli P. Franciscus Manera anno 1842. Boerus eidem prooemium praeposuit).

10° *De Assumptione Mariae Virginis Oratio habita XVIII Kal. Sept. in templo Liberiano a Ioanne Baptista Laperelli Equite et Canonico Cortonensi Romani Colleg. Nobilium S. I. alumno.* Romae, ex typis Alexandri Monaldi MDCCCXLIII, 4°, 3 ff., pp. 11.

11° *Sentimenti e fatti del P. Silvestro Pietrasanta, in difesa di S. Giuseppe Calasanzio e dell'Ordine delle Scuole Pie, compilati dalle Posizioni per la Canonizzazione del medesimo Santo dal P. Giuseppe Boero d. C. d. G.* Roma, dalla tipografia di G. B. Morini, 1847, 8°, pp. 69. (Hoc opus gallice reddidit P. Grandidier, variis adiectis documentis. In hac versione, et in ephemeridibus, quibus titulus — *Diario di Roma* — responsiones Boeri invenies ad P. Inghiramium, Scholarum Piarum Sodalium Praepositum Generalem, aliosque, qui idem opus impugnaverant).

12° *Elogio storico della Vita e delle Missioni del P. Gian Battista Cancellotti della Compagnia di Gesù, descritto dal P. Giuseppe Mariano Partenio della medesima Compagnia.* Roma, tipografia Marini e Morini, 1847, 16°, pp. 122.

13° *Lettere inedite del P. Paolo Segneri d. C. d. G. raccolte e pubblicate per cura di Giuseppe Boero.* Napoli, presso G. Nobile, 1848, 8°, pp. 244. (Idem opus duobus voluminibus conclusum Boerus edidit Romae a. 1849).

14° *Indirizzo alle Camere legislative di Napoli sul fatto dei Gesuiti per Matteo Liberatore D. C. D. G.* Roma, 1848, 8°, pp. 102. (Est nova editio, cui Boerus prooemium et notas adiecit).

15° *Giudizio dell'Episcopato italiano sopra la causa dei Gesuiti.* Roma, tipografia delle Belle Arti, 1849, 4°. (Etiam Mediolani est editum anno 1850, 4°, pp. 107).

Huic operi, quod Carolus Candianius scripsit antequam in Societatem nostram ingrederetur, prologum et epilogum Boerus affixit.

16° *Risposta a Vincenzo Gioberti sopra le lettere di S. Carlo Borromeo di Giuseppe Boero della Comp. di Gesù.* Roma, tipografia Marini e Morini, 1849, 18°, pp. 122. (Mediolani etiam edita, a. 1850, a B. Poliani).

17° *L'Orbe cattolico a Pio IX, Pontefice Massimo, esulante da Roma, 1848-1850.* Napoli, all'Uffizio della *Civiltà Cattolica,* nel Cortile di San Sebastiano, 1850, 4°, 2 vol. pp. XIX-343, e 411. (Boerus huius editionis curam suscepit).

18° *La Rivoluzione romana al giudizio degli imparziali.* Firenze, 1850, presso Simone Birindelli, 8°, pp. 359. (Etiam Neapoli hoc opus est vulgatum et in Germania, a. 1852).

19° *Compendio della Vita del B. Pietro Claver, della Compagnia di Gesù, scritto dal P. Giuseppe Boero della medesima Compagnia.* Roma, dalla tipografia Marini e Morini, 1851, 8°, pp. 62. (Inibi et Venetiis, cum additamentis et emendationibus iterum editum, a. 1851, 1852, 1887).

20° *Solenne Beatificazione del Ven. Servo di Dio Pietro Claver, sacerdote Professo della Comp. di Gesù nella Basilica Vaticana il dì 21 Settembre 1851.* (Estratto dall'*Albo Romano*).

21° *Sacra Rituum Congregatione Emin. ac R.mo D. Cardinali Della Genga Sermattei, Meliapuren. Beatificationis, seu Declarationis Martyrii Ven. Servi Dei Ioannis De Britto Sacerdotis Professi Societatis Iesu. Prima Positio super dubio.....* Romae MDCCCLI, ex typographia Iosephi Brancadoro.

Nonnulla in hoc volumine insunt a Boero non conscripta. Idem Boerus redegit decretum, quo Ven. Ioannes de Britto in Beatorum Caelitum album est relatus, et eiusdem Caelitis Officium liturgicum composuit.

22° *Sacra Rituum Congregatione particulari Em.morum ac R.morum DD. Card. Lambruschini Praefecti, Patrizi, Ferretti, Bofondi et Altieri, causae relatoris, ac RR. PP. DD. praelatorum officiorum a Sanctissimo D. Nostro Pio Papa IX deputata, Polona, seu Luceorien. Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei Andreae Bobola Sacerdotis Professi Societatis Iesu. Super dubio.....* Romae, 1852.

23° *Sacra Rituum Congregatione Em.mo ac R.mo Domino Card. Lambruschini relatore Brasilien. redintegrationis cultus Ven. Servorum Dei Ignatii de Azevedo et XXXIX Sociorum Martyrum e Societate Iesu. Positio de casu excepto. Instante R. P. Iosepho Boero causae postulatore.....* Idem, ibidem.

24° *Neapolitan. seu Lycien. Beatificationis et Canonizationis V. Servi Dei Bernardini Realini.* Romae, typis Brancadoro, 1852, fol.

Vide infra N° 61.

25° *Vita del Venerabile P. Bernardino Realino della Compagnia di Gesù, scritta dal P. Giuseppe Boero della medesima Compagnia, Postulatore della causa.* Roma, tipografia di Bernardo Morini, 1852, 8°, pp. VIII-221 (cum effigie delineata et impressa ab Aloisio Lanzo).

26° *Vita del Beato Giovanni de Britto, martire, della Compagnia di Gesù, descritta dal P. Giuseppe Boero della medesima Compagnia. Libri due.* Roma, coi tipi della *Civiltà Cattolica,* 1853, 4°, pp. 135.

Iterum edita ibidem item anno 1853, 18°, pp. 324.

27° *Compendio della Vita del Beato Giovanni de Britto, martire, della Compagnia di Gesù, scritto dal P. Giuseppe Boero della medesima Compagnia.* Roma, coi tipi della *Civiltà Cattolica,* 1853, 8°, pp. 46.

Huius compendii versio germanica evulgata est Antuerpiae, a. 1854, et gallica Bruxellis anno 1853.

28° *Compendio della Vita della B. Marianna di Gesù di Paredes e Flores, detta* Il Giglio del Quito, *Vergine secolare americana.* Roma, dalla Tipografia di Bernardo Morini, 1853, 18°.

Item Romae est editum cum additamentis eodem anno a Typoth. Monaldi.

29° *Sacra Rituum Congregatione Em.mo ac R.mo Domino Card. Gabriele Ferretti relatore Granaten. Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei Emanuelis Padial Sacerdotis Professi Societatis Iesu. Positio super validitate processuum.* Romae, 1853. Tipographia Iosephi Brancadoro, in folio, pp. 34.

30° *Osservazioni sopra l'Istoria del Pontificato di Clemente XIV, scritta dal* P. A. THEINER, *prete dell'Oratorio.* Modena. Tipografia di Carlo Vincenzi, 1853, 8°, pp. VIII-184 (per 194).

Modoetiae denuo editae multis cum additamentis a. 1854, 12°, voluminibus duobus, pp. 180, et 267 (Istituto dei Paolini).

31° *Lettere Spirituali inedite del Venerabile Padre Bernardino Realino della Compagnia di Gesù.* Napoli, Tip. Nobile, 1854, 18°, pp. 193.

Huic opellae Boerus prooemium praeposuit, et indicem adiecit. Litterae vero collectae sunt a P. Antonio Beatillo.

32° *Istoria della Vita e della gloriosa morte del Beato Ignazio de Azevedo, e di altri trentanove Martiri della Compagnia di Gesù, descritta dal P. Giulio Cesare Cordara, della medesima Compagnia.* Roma, dalla tipografia di B. Morini, 1854, 4°, pp. 161.

Iterum edita Neapoli a. 1854.

33° *Istoria della Vita e dei Miracoli della Beata Germana Cousin, Vergine secolare e Pastorella di Pibrac, descritta dal P. Giuseppe Boero della Compagnia di Gesù.* Roma. Tipogr. Bertinelli, 1854, 8°, pp. 159. Ibid. idem, 1854, 1866.

Gallice et anglice versa est.

34° *Vita della Beata Marianna di Gesù de Paredes e Flores, vergine secolare americana detta* — il Giglio del Quito — *descritta dal P. Giuseppe Boero della Compagnia di Gesù.* Roma dalla tipografia di Bernardo Morini, 1854, 8°, pp. 221.

Anglice, gallice et germanice translata.

35° *De Vita et miraculis S. Stanislai Kostkae, Societatis Iesu. Libri duo ex italico Danielis Bartoli S. I. in latinum conversi a Iosepho Iuvencio eiusdem Societatis Sacerdote.* Editio prima, Romae. Typis *Civilitatis Catholicae*, MDCCCLV, 12°, pp. 298.

Boerus editor fuit.

36° *Leges et Statuta Sodalitatum B. Mariae Virginis, quae Primae primariae romanae coniunctae sunt.* Romae. Typis *Civilitatis Catholicae*, MDCCCLV, 12°, pp. 38.

Hoc opusculum a I. M. Mazzolario est compositum et a Boero editum.

37° Iosephi Mariani Parthenii *e Soc. Iesu. Commentarii et elogia.* Romae. Typis *Civilitatis Catholicae,* MDCCCLV, 12°, pp. 156.

Hanc opellam Boerus edendam curavit, et prooemio instruxit.

38° Iulii Caesaris Cordarae *e Soc. Iesu. De Profectione Pii VI, P. M. ad Aulam Viennensem, eiusque causis atque exitu Commentarii nunc primum in lucem editi a Iosepho Boero eiusdem Societatis.* Romae. Typis *Civilitatis Catholicae,* MDCCCLV, 12°, pp. 176.

39° *Istoria della Vita del V. Padre Giuseppe M. Pignatelli della Compagnia di Gesù, descritta dal P. Giuseppe Boero della medesima Compagnia.* Libri cinque. Roma, coi tipi della *Civiltà Cattolica,* 1856, 8°, pp. 631.

40° *Compendio della Vita e delle Virtù del Venerabile Padre Emanuele Padial della Compagnia di Gesù, scritto dal P. Giuseppe Boero della medesima Compagnia.* Roma. Tipografia Monaldi, 1856, 18°, pp. 64.

41° *Menologio di pie memorie d'alcuni religiosi della Compagnia di Gesù, che fiorirono in virtù e santità, raccolte dal MDXXXVIIII al MDCCXXVIII, per Giuseppe Antonio Patrignani, e continuate fino ai dì nostri per Giuseppe Boero della medesima Compagnia.* Roma, coi tipi della *Civiltà Cattolica,* 1859, 8°, 2 vol. (Gennaio-Febbraio) pp. XVI-604-592.

Boerus a Raphaële Ballerinio plurimum in hoc labore est adiutus.

42° *Istoria della Vita e del Martirio dei Santi Giapponesi Paolo Michi, Giovanni Soan de Goto, e Giacomo Chisai della Compagnia di Gesù, compilata dal P. Giuseppe Boero della medesima Compagnia.* Roma, coi tipi della *Civiltà Cattolica,* 1862, 8°, pp. 176.

43° *Compendio della Vita e del Martirio dei Santi Giapponesi, Paolo Michi etc.* (ut supra) pp. 62.

Haec historia germanice, hispanice et gallice versa est.

44° Iosephi Mariani Parthenii *e Soc. Iesu Epistolae.* Romae, ex Typographeo Forensi, ad Fontem Aquae Virginis anno MDCCCLXIII, 12°, pp. XV-301.

45° *Della Vita di S. Luigi Gonzaga della Compagnia di Gesù, scritta dal P. Virgilio Cepari della medesima Compagnia.* Edizione arricchita di nuove giunte ed offerta alla Santità di N. S. Papa Pio IX, felicemente regnante. Roma, dalla Tipografia Forense, 1862, 8°, 2 vol. pp. XVI-552 con incisioni ventisei.

PP. Cassinius, Paria et Tavanius in hac opella redigenda plurimam operam contulerunt. Tavanius quartam partem confecit, pagg. 211-432.

46° *Gli Scritti editi ed inediti dell'Angelico Giovane San Luigi Gonzaga della Compagnia di Gesù, ora per la prima volta tutti insieme pubblicati.* Roma. Tipografia Forense, 1862, 8°, pp. 56.

47° *Istoria della conversione alla Chiesa Cattolica di Carlo II, re*

d'Inghilterra, da scritture autentiche ed originali, per Giuseppe Boero d. C. d. G. Roma, coi tipi della *Civiltà Cattolica*, 1863, 8°, pp. 80.

Anglo sermone etiam edita in *The Mont.* Consule ephemerides, quae inscribuntur *Études religieuses*, 3 sér., T. V, VI et VIII.

48° *Vita di S. Ignazio di Loiola, Fondatore della Compagnia di Gesù, descritta dal P. Pietro Ribadeneira e tradotta dalla lingua spagnuola nell'italiana da Giovanni Giolito de Ferrari.* Roma, coi tipi della *Civiltà Cattolica*, 1864, 8°, pp. XXIV-440.

Prima editio prodiit anno MDLXXXVI.

49° *Brevi Memorie di Monsignor Giovanni Sottovia con un suo discorso in confutazione delle dottrine del Professore Giovanni Nepomuceno Nuytz.* Roma, dalla Tipografia di B. Guerra, 1863, 8°, pp. 29.

50° *Vita del B. Pietro Canisio, d. C. d. G. detto l'*Apostolo della Germania, *descritta dal P. Giuseppe Boero della medesima Compagnia.* Libri sei. Roma, coi tipi della *Civiltà Cattolica*, 1864, 8°, pp. 518.

Anno postero germanice est versa.

51° *Vita del Beato Giovanni Berchmans della Compagnia di Gesù, scritta dal P. Virgilio Cepari della medesima Compagnia.* Edizione corretta ed accresciuta. Roma, coi tipi della *Civiltà Cattolica*, 1865, 8°, pp. XXIV-264. Ibid. id. 1865, 8°, pp. XXVII-378.

Boerus scripsit prologum atque additamenta. Gallice versa, edita etiam est anno MDCCCLXXXVIII.

52° *Varie traslazioni e ricognizioni del corpo del B. Giovanni Berchmans.* (In ephemeridibus quibus titulus *Il Divino Salvatore*, Roma, il 9 Giugno 1865).

53° *Compendio della Vita del Beato Giovanni Berchmans della Compagnia di Gesù, scritto dal P. Giuseppe Boero della medesima Compagnia.* Roma, tipi della *Civiltà Cattolica*, 1865, pic. 12°, pp. 68.

Saepius est editum aliis in urbibus, auctum et emendatum. Lusitanice etiam translatum, et Ulyssipone excusum a. MDCCCLXXXVIII.

54° *Lettere edite e inedite del P. Daniello Bartoli d. C. d. G. e di uomini illustri scritte al medesimo.* Bologna, per Alessandro Mareggiani, 1865, 8°, pp. LXXVII-160.

55° *Relazione delle Feste fatte in Friburgo per il B. Pietro Canisio, e in Diest per il B. Giovanni Berchmans.* In ephemeridibus, quibus nomen *Il Divin Salvatore*. Roma, 1865.

56° *Iaponen. Beatificationis seu declarationis Martyrii VV. Servorum Dei Alphonsi Navarrete..... Super dubio an approbatione martyrii ex parte tyranni, ita constet de martyrio ex parte passorum confirmato pluribus signis seu miraculis, ut procedi possit ad ulteriora. — Informatio et responsio ad votum.* Romae, typis Brancadoro, 1866, in folio. — *Super dubio. An tuto procedi possit.* Ibid. 1867, in folio. — *Approbationes*

XI Lectionum in Festis BB. Martyrum Iaponen. e Societate Iesu. Ibid., 1867.

57° *Narrazione di alcuni miracoli operati da Dio in varie diocesi del Belgio ad intercessione del B. Giovanni Berchmans d. C. d. G.* Roma, dai tipi di Bernardo Morini, 1866, 8°.

58° *Miracoli operati da Dio in varie diocesi degli Stati Uniti d'America per l'imposizione delle reliquie del B. Pietro Claver d. C. d. G.* In ephemeridibus *Il Divino Salvatore.* Roma, 21 Luglio 1866, 8°.

59° *Relazione della gloriosa morte di ducento e cinque beati Martiri del Giappone, compilata dal P. Giuseppe Boero della Compagnia di Gesù.* Roma, coi tipi della *Civiltà Cattolica,* 1867, 8°, pp. 231, con ritratto.

Gallice translata est.

60° *La Vocazione di S. Luigi Gonzaga alla Compagnia di Gesù; componimento drammatico in prosa del P. Giuseppe Boero della medesima Compagnia.* Modena. Tipografia dell'Immacolata Concezione, 1868, 32°, pp. 75.

61° *Sacra Rituum Congregatione Eminentissimo ac Reverendissimo Domino Card. Carolo Sacconi relatore. Neapolitana seu Lycien. Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei Bernardini Realini, Sacerdotis Professi Societatis Iesu. Positio super miraculis.* Romae, typ. Brancadoro, 1868, in folio, pp. 17. — Summarium.....

62° *Cenni storici sulla Vita dei BB. MM. Giapponesi della Compagnia di Gesù.* Roma, tipografia Vaselli, 1868, 18°, pp. 30.

63° *Indiarum seu Goanae Beatificationis seu declarationis martyrii VV. Servorum Dei Rodulphi Aquavivae et Sociorum etc. Informatio et responsio ad animadversiones.* Romae, typis Brancadoro, 1869, in folio.

64° *Vita di San Francesco Borgia, terzo Generale della Compagnia di Gesù, scritta dal P. Pietro Ribadeneira della medesima Compagnia.* Torino. G. Marietti, 1869, 16°, pp. XVI-378.

Hanc versionem antiquam Boerus recognovit.

65° *Vita del B. Carlo Spinola, martire della Compagnia di Gesù, scritta dal P. Fabio Spinola della medesima Compagnia. Nuovissima edizione corretta ed accresciuta.* Roma, coi tipi della *Civiltà Cattolica,* 1869, 16°, pp. 248.

Cum epistolis ineditis. Monza, Luigi Annoni, 1876, 16°, 2 volumi, pp. 166 e 191.

66° *Vita di San Francesco Saverio della Compagnia di Gesù Apostolo delle Indie, descritta dal P. Daniele Bartoli della medesima Compagnia.* Torino. Pietro di G. Marietti, 1869, 16°, 2 vol. pp. 166 e 191.

Hanc vitam Boerus excerpsit e libris P. Danielis Bartoli, qui ita inscribuntur — *Vita di S. Ignazio — Istoria dell'Asia.*

67° *De origine et progressu Societatis Iesu usque ad eius confirma-*

tionem commentarium P. Simonis Rodriguez, qui fuit e novem sociis Ignatii Patris. Romae. Typis *Civilitatis Catholicae*, 1869, 8°, pp. 103.

68° *Editio Instituti S. I.* Romae 1869-70, fol.

Hanc Boerus curavit, P. Fabriani usus auxilio. — Sub finem, pag. 133-149: *Animadversiones in aliquot Examinis, Constitutionum et Declarationum loca, quae ad veritatem autographi revocanda videntur.* Has Boerus conscripsit.

69° *Storia della Vita di S. Stanislao Kostka della Compagnia di Gesù, compilata sulle testimonianze giuriche dei processi, formatisi per la sua canonizzazione, dal P. Giuseppe Boero della medesima Compagnia.* Torino, 1872, Tipografia di Giulio Speirani e Figli, 16°, pp. 304.

Etiam Prati edita est a Giachetti a. 1883, et anglice versa Londinii est invulgata.

70° *Sacra Rituum Congregatione Eminentissimo ac Reverendissimo Domino Card. Constantino Patrizi Praefecto et relatore. — Annecien. Confirmationis cultus Ven. Servi Dei Petri Fabri, Beati nuncupati. Qui primus fuit Sociorum S. Ignatii de Loyola. Instantibus Episcopo et Clero Dioecesis Anneciensis una cum R. P. Ioseph Boero Postulatore et universa Societate Iesu.* Romae, 1871. Typis Brancadoro, in parv. fol. pp. 41. — Summarium etc..... item; 1873.

71° *Vita del B. Pietro Fabro della Compagnia di Gesù, primo compagno di S. Ignazio di Loiola, descritta dal P. Giuseppe Boero della medesima Compagnia.* Monza, 1874. Tip. dell'Istituto dei Paolini di Luigi Annoni e Comp., 16°, 2 vol., pp. 160 e 180.

Anglice versa est et Londinii edita anno 18..... 12°.

72° *Conversioni alla fede cattolica di Cristina regina di Svezia, di Carlo II d'Inghilterra, e di Federico Augusto duca ed elettore di Sassonia, cavate da documenti autentici ed originali dal P. Giuseppe Boero della Compagnia di Gesù.* Modena, Tipografia Pontificia ed Arcivescovile dell'Immacolata Concezione 1874, 8°, pp. 256.

Vide Num 47.

73° Nicolai Orlandini *e Societate Iesu. Tractatus seu Commentarii in summarium constitutionum et in regulas communes.* Roheampton, ex Typographia Manresana, 1876, 8°, pp. xv-715.

Boerus hoc opus inscripsit Patribus ac Fratribus S. I., et inscriptioni nomen suum subiecit.

74° *Vita del Servo di Dio P. Pascasio Broet, della Compagnia di Gesù, uno dei primi compagni di S. Ignazio di Loyola, scritta dal P. Giuseppe Boero della medesima Compagnia.* Libri due. Firenze, Raffaele Ricci, 1877, 12°, pp. vii-132.

Hispanice Barcinone est edita a P. Ignatio Torre S. I. a. 1878, et gallice a P. Clemente de Laage S. I. Insulis, anno eodem.

75° *Vita del Servo di Dio P. Claudio Iaio, della Compagnia di Gesù...* Ibidem, 1878, 12°, pp. 251.

76° *Vita del Servo di Dio P. Nicolò Bobadiglia...* Ibidem, 1879, 12°, pp. VI-205.

77° *Vita del Servo di Dio P. Alfonso Salmerone.....* 1880, Ibid., 12°, pp. 187.

Hanc P. Ignatius Torre hispanicam fecit, et Barcinone edidit a. 1887.

78° *Vita del Servo di Dio P. Simone Rodriguez.....* Ibidem 1880, 12°, pp. 135.

79° *Vita del Servo di Dio P. Giacomo Lainez, secondo Generale della Compagnia di Gesù, e uno dei primi compagni di S. Ignazio di Loiola.* Ibidem, 1880, 12°, pp. IX-358.

80° *S. Francesco di Girolamo e le sue missioni dentro e fuori di Napoli.* Firenze, Tipografia della SS. Concezione di Raffaele Ricci, 1882, 12°, pp. 182.

Boerus prooemio suum nomen subiecit.

81° *Simonis M. Poggi e Soc. Iesu, seu Nimesii Ergatici Pastoris Arcadis, Fabularum Aesopiarum Libri decem.* Florentiae, ex Typogr. a SS. Conceptione, typis Raphaëlis Ricci, 1883, 16°, pp. VI-346.

Maxime dolemus, quod huius elegantissimae opellae editio, incuria typothetae, quamplurimis mendis scatet, et in ipso prooemio, a Boero venuste admodum concinnato, nonnulli errores irrepserunt, inter quos ille praecipuus, qui legitur in pag. IV, lin. 18. Utinam libellus accuratius denuo edatur!

82° *Scholia in Constitutiones et Declarationes S. P. N, Ignatii, auctore P. Hieronymo Natali e Societate Iesu, nunc primum in lucem edita.* Prati in Etruria, ex typographia Giachetti Filii et Soc., 1883, 16°, pp. 435.

83° *Della Vita e della gloriosa morte di molti Sacerdoti e Laici uccisi in odio della Fede cattolica in Inghilterra. Memorie raccolte da Monsignor Riccardo Challoner, Vescovo di Dabla e Vic. Ap.* Prato. Tipografia Giacchetti, Figlio e C., 1884, 8°, pp. 906.

Hoc opus Boerus italica civitate donavit, eique complura adiecit.

In *Bibliotheca Scriptorum Soc. Iesu* haec postremo de Boero subiiciuntur: En 1853, le P. Boero reçut du Cardinal della Genga les papiers de Léon XII, sur sa nonciature en Allemagne; il devait les publier, pour faire suite aux Mémoires du Cardinal Pacca. Tom. I, col. 1584.

84° *Prosopopoeia Diadematis Sancti Aloisii inter sidera relati. Parodia Elegiae de Coma Berenicis ex graeca Callimachi a Catullo expressae.*

Hoc carmen Boerus conscripsit Cherii in ludo P. Isaïae Carminati, anno MDCCCXXXII. Id reperies in opere, quod ita effertur: *Isaïae Carminati S. I. Auditorum Cheriensium Carmina sacra. Edidit Salvator Casagrandius ex eadem Societate.* Excudit Augustae Taurinorum Vincentius Bona, Regis Italiae officinator librarius, anno CIↃ IↃCCC XCVIII.

NOTAE

(1) Videsis huius libelli pag. 31, numerum 12um, eiusque notam 4.

(2) Videtur etiam, vel alios libros latinos litterarios edidisse, vel de iis edendis cogitavisse, ut satis aperte constat ex prologo, quem Commentariis et elogiis P. I. M. Parthenii praeposuit.

(3) Hoc elogium confecimus ex brevi memoria, quam de Boero contexuere Ephemerides, quibus titulus *La Civiltà Cattolica*. Serie XII, vol. 5, p. 627, et ex privatis relationibus.

(4) Vide supra notam 1.

FRANCISCVS PELLICO

XVII.

FRANCISCVS PELLICO

AUGUSTAE Taurinorum ortus est, anno reparatae salutis MDCCCII, parentibus, morum honestate et pietate in Deum spectatissimis, qui Saluciis profecti, urbem Subalpinorum caput paucis ante annis sibi incolendam delegerant. Fratrem habuit, natu maiorem, Silvium illum fama clarissimum, qui non minus religionis quam litterarum laude floruit. A prima aetate, ingenii docilitas, intaminati mores, amor in Deum et in parentes, suavitas oris, vultusque modestia plurimam ei apud omnes commendationem pepererunt. Litteris nostratibus, latinis et gallicis praecipue intendit. Linguam anglicam satis tenuit, et germanicam etiam attigit. Poëticam et graphicam coluit, ne artium expers esset suavitatis. Enimvero plurimum ab iis in pueritia et adolescentia iucunditatis hausit. Quibus in artibus, Silvii cura et amor maximo ei incitamento ac subsidio fuere. In regio Athenaeo Taurinensi ad subtiliores disciplinas animum appulit, et Amadei Peyroni, viri eruditissimi, auditor fuit (1).

At, quia magis Deo, quam hominibus famulari studebat, honores et munera, quae sibi forte polliceri poterat, contemptui habuit, et Ecclesiae inservire, eique se totum mancipare constituit. Quo inito consilio, quum eum nonnulli a sententia deterrere conarentur, nihilo secius, quae sua erat sapientia, obiecta omnia brevi momento ludificavit. Itaque eodem in athenaeo

sacrae theologiae, iuri canonico et linguae hebraicae mentem addidit; ac Doctoris laurea perhonorifice honestatus, et sacerdotio auctus, inter minores regii sacrarii curiones est cooptatus. Per idem fere tempus regii athenaei et Academiae militaris alumnos, statis concionibus ad pietatem instituebat et aliquot nobiles adolescentes privatis lectionibus ad litteras informabat.

His tamen non contentus, quo arctius se Deo obstringeret, anno aetatis suae tertio et tricesimo, mundo nuncium remisit, et Cherium properavit, ut in nostra Societate tirocinium religionis iniret. Hac re audita, nonnulli, qui nostram Societatem iniquis oculis aspiciebant, et Pellicum, ob egregias animi dotes, magno in honore habebant ac summa benevolentia prosequebantur, vehementissime sunt commoti, eiusque versam vicem publice indoluerunt. Alii etiam exstitere, qui palam fateri non dubitarent, Pellicum, vel externa nostrorum sodalium specie esse deceptum, vel ex optimo, qui antea inter suos fuisset, malum ex improviso effectum esse; quin etiam futurum, ut inter Nostros brevi pessimus evaderet (2). Contra boni omnes, iuvenis religionem magnopere admirati, summis eum laudibus extulerunt.

Interea Pellicus, tirocinio inito, quum doctor potius quam discipulus pietatis suis moderatoribus visus esset, anno vix elapso, ibidem tironum magistro socius est datus. Biennio post, Melanum in Allobroges est missus, ut ceteros tirones, qui illic degebant, ad eam ipsam pietatem, uti magister, educeret, cuius Cherii, adhuc tiro, tot eximia documenta praebuisset. Id munus quum egregie admodum ad sex annos explevisset, Antonio Brescianio, qui ea tempestate provinciae Taurinensis praefecturam auspicatissime susceperat, socius obtigit.

Iam tempora inciderant formidolosa, quae nostris sodalibus male ominari videbantur, ut hi magno in discrimine tota Italia versari coeperint. Quippe homines profligatissimi, vaferrimi, rerum novarum cupidi, Societatem nostram falso insimulare, probris lacessere et maledictis increpare instituerant, quo eam scilicet, pessime audientem, et facilius imminuerent, et citius everterent. Hos inter Vincentius Giobertius praecipuus exstitit. Is enim, edito libro, calumnias paene innumerabiles, undique conquisitas, in nostrum Ordinem eiusque alumnos ad impudentiam congesserat.

Hac de causa Pellicus, nostrorum Praesidum iussu, ut non modo veritati, sed etiam suorum dignitati ac saluti prospiceret, opus adversus eum conscripsit, et evulgandum curavit.

Quamquam hoc fucato rhetore et pallio tenus philosopho a condiscipulatu familiarissime usus erat, utpote qui lupum, ovis pelle indutum, ab adolescentia detegere non potuisset, detectum tamen, sanctiora veritatis, quam amicitiae iura reputans, multiplici argumentorum pondere falsitatis arguit, atque ad incitas redegit. Id autem praestitit tanta verborum lenitate, et animi benevolentia, ut Giobertius ipse, tametsi cum Carolo Alberto, Subalpinorum rege, qui Pellici librum regii aerarii impensa edi praecepisset, magnas inimicitias susceperat, tamen hominis sapientiam cum christiana caritate coniunctam vehementer admiratus, eum palam omnibus collaudare non dubitaverit. Stupor enim iracundiae locum plane occupaverat. Pellici opere perlecto, viri, qui non minus religione, quam doctrina praestabant, plurima laetitia sunt affecti, et magnis scriptorem laudibus extulerunt. Hos inter compellare libet Clementem Solarum Comitem Della-Margherita, regni Subalpini a rationibus externis administrum, qui ad P. Antonium Brescianium, provinciae taurinensis praepositum, datis litteris, summo Pellicum elogio condecoravit (3). Qui vero inimico animo in nostram Societatem exstabant, nil intentatum reliquerunt, ut Pellici famam obtererent. Horum praecipuus fuit Iophredus Casalis, de quo in elogio Ioannis Antonii Grassii verba fecimus. Hic itaque librum iniquo animo conscriptum et calumniis refertum esse affirmavit; ob eamque causam malum, quin etiam pessimum nuncupandum; Pellicum autem ipsum omnium fraudum, quibus moliendis Iesuitae maxime sint idonei, magistrum esse habendum. Quapropter futurum, ut idem serius ocius hoc nomine Praepositus Generalis Societatis Iesu renunciaretur (4).

Itaque Pellicus, quum de religione et de nostra Societate adeo meritus esset, ut boni omnes nostris partibus faverent, mali vero starent ex adverso, ad sollemnem quattuor votorum professionem dudum promotus, Brescianium ipsum, anno MDCCCXLVI, in provincia taurinensi administranda, excipere est iussus. At non diu regimen tranquillum habuit. Nam qui religionem catholicam odio prosequebantur, ii Societatem nostram neci addixerant, iamque

in eo erant, ut conata perficerent. Tum vero Pellicus, non inops consilii, nil sibi reliquum fecit, ut suorum honori et incolumitati consuleret. Ad singulos Episcopos, in quorum dioecesibus sodales provinciae taurinensis versarentur, litteras dedit, eos enixe rogans, ut quidquid de Nostris sentirent, ad se perscriberent; eorumque sententias perhonorificas collegit, quo publici iuris fierent. Praeterea regi et praecipuis regni subalpini administris suam suorumque innocentiam est obtestatus: Societati nostrae nil magis cordi perpetuo fuisse et esse, quam legibus obtemperare et civium bono inservire; quapropter eorum fidem ac tutelam, in quam nostri se recepissent, iure invocari (5).

Nihilo tamen minus quum parum proficeret, sensit sibi mature facto opus esse, ut suos ab impendenti calamitate sospitaret; iamque operam dare coeperat, ut aegrotos, ceterosque, qui sibi prospicere minus possent, in tuto statueret. At ancipiti premebatur periculo. Etenim rex, re cognita, suam in nos egregiam voluntatem testatus, bono eum esse animo iussit; se rege, nihil nobis adversi pertimescendum. Itaque Pellicus, ne regis promissis fidem abrogare videretur, summae rei consulere non potuit. Hinc imparatus, at non inopinans, magnis a popello, tota regis ditione, in nostros ex composito excitatis tumultibus, atque impetu facto, publicae auctoritatis praesidio destitutus, et ipsius regis iussu, qui Societatem nostram tueri se postea impotentem est professus, ex omnibus collegiis ac domibus, una cum suis, rerum omnium egenis, anima tantummodo sibi relicta, e vestigio excedere est coactus (6).

Haec calamitas Pellici animum non fregit, sed erexit. Quippe, quod est sapientis, ut in rebus prosperis timere, ita in adversis sperare consueverat. Igitur, Dei benigno numine fretus et subitariis amicorum usus auxiliis, acceptum incommodum sarcire adeo studuit, ut quibus sodalibus, aut per aetatem, aut per valetudinem, sibi prospiciendi consilium, vel potestas deesset, iis brevi post tempore subsidio venerit; et quo singuli diversarentur, ubi in tuto vitam agerent, aut studia persolverent, ab eo optime cautum ac provisum sit. Iuniores ad triginta amplius numero, qui iam idonei censebantur, quo eorum religio, atque vita ipsa in leviore discrimine versarentur, ad sacerdotii ordinem quam celerrime studuit promoveri. Ex

his undecim, ipsa in urbe Taurino, decem post diebus quam e nostris domibus expulsi erant, rem divinam primitus fecerunt. Quod, quum periculosae plenum opus aleae esset, qua ratione perfectum sit, paucis iuvat referre.

Hi itaque, per tres dies statos, e privatis domibus, in quibus delitescebant, summo mane, vix albente caelo, ac mentita veste, diversis itineribus, caute admodum in conclave cuiusdam foeminae religiosissimae convenerunt. Interea strenuus ille Algerensium Episcopus, cognomine Dupuch, e villa suburbana in eandem secretam domum modesto curru invectus, non sine periculo incidendi in malevolos exploratores, se contulit. Ibi, clausis ianuis ac fenestris, demissa voce, coram altari vectabili, sacer ritus est peractus, quo scilicet ad sacros Ecclesiae ordines maiores, ingenti cum gaudio, iuvenes illi sunt provecti. Quum autem ii qui intentis oculis atque auribus, omnium nostrorum sodalium motus explorabant, in suspicionem rerum gestarum venerunt, sacerdotes novensiles apud Gallos, vel Belgas, alii alio, ad unum omnes in tutum se receperant. At vero Episcopus e ditione subalpina illico est expulsus.

Post haec Pellicus, sub exitum mensis Iunii eiusdem anni, una cum P. Alexandro Ponza a S. Martino, quem nuperrime in provincia regenda sibi socium adsciverat, in Galliam secessit, atque in ephebeo Dolano sibi stationem delegit. Quo cum venisset, confestim ad magistratus subalpinos legibus ferendis litteras conscripsit, quibus ea omnia, quae in universa Sardiniae regis ditione contra se suosque acta erant, contestando denunciavit; atque in ephemeridibus urbis Lucani contestationem ipsam, quo tutius evulgaretur, publicam fecit.

Quibus peractis, nil sibi cunctandum sensit, quin suis sodalibus, qui in regionibus subalpinis, aut alibi, hac illac dispalati remanserant, adiumento veniret, ne uti oves, quas lupi diriperent, mactarentque, se a pastore desertos putarent. Quamquam enim, quod supra docuimus, compluribus ab initio, prouti res ac tempus ferebant, consultum iverat, tamen, ob nova rerum adiuncta, bene multi magno erant in periculo; quod praeterea augebatur in dies. Nam lex a subalpinis magistratibus lata erat, qua sodales nostri omnes, qui in Sardiniae regis ditione nati

non essent, inde excedere iubebantur. Qui vero inibi ortum habuissent, nisi Sodalitati nostrae nuncium remitterent, civili libertate expoliabantur; neque stata pecunia frui poterant, qua vitam facilius sustentarent. Erant etiam qui nonnullis in provinciis, et praesertim in insula Sardinia, hoc decretum rigidius interpretarentur, ita ut Nostri, qui in fide consisterent, pessime haberentur, atque adeo suae vitae timerent, ac domi latere cogerentur.

Huc accedebat quod magnae auctoritatis ac religionis viri eosdem sodales ad Societatem nostram deserendam quam maxime impellebant: propterea quod, uti aiebant, nulla spes affulgeret, eandem apud Subalpinos in pristinum statum revocatum iri. Interea suis quisque dioecesibus nomen darent. Id porro legitimum futurum, si ipsi per se, aut per alios, a Sede Apostolica exposcerent, ut religionis vinculo, quo Deo obstringerentur, saltem pro tempore, solverentur. Ita fiebat, ut qui nostris sodalibus saluti esse deberent, iis perniciem maximam pararent. Quam ob rem, uti in extremis casibus fieri consuevit, tametsi plerique in fide firmissime permanebant, nonnulli tamen pendebant animis, quid sibi tandem consilii caperent; alii vero, praesertim iuniores, rerum inexperti, animum despondentes, in laqueos paratos incidebant.

Itaque Pellicus, quanto in periculo res esset oppido intelligens, ad singulos scripsit, unumquemque de officio sapienter admodum ac suaviter commonefecit, et iunioribus Galliam, in quam ipse confugisset, uti locum propinquum ac peridoneum ostendit, quem peterent ad salutem. Qua in re, tanta est usus felicitate, ut, iis exceptis, quorum fides iam antea esset in incerto, nulla mora interiecta, ad eum, perinde ac filii in patris sinum, libentissimi confugerint. Alii demum, vel sua sponte, vel eius usi consilio, ad gentes remotissimas, ad Afros nempe, ad Americanos, ad Indos in christiana religione excolendos, quam celerrime sunt profecti, tanto numero, ut qui, sub initio anni MDCCCXLVIII, vix octo, vel decem provinciae taurinensis alumni in exterarum gentium *missionibus* essent, anno postero ad quinquaginta recenserentur. Quae omnia facilia ex difficillimis Dei gratia et magnitudo animi redigebant. Qui denique Allobroges natione erant,

inter sodales provinciae Lugdunensis sunt accensiti, quo tutiore in loco consisterent, et omnia provinciae Taurinensis imperia ab uno facilius administrarentur. Hi omnes, octoginta numero, tametsi se a Taurinensibus distractos quam maxime indoluerunt, tamen, non multis post annis, Pellicum, quasi praescium futuri praedicaverunt, quod ipsorum natio, una cum provincia niciensi, ab Italis in Gallorum potestatem tradita esset.

Itaque, ea tempestate, P. Ioannes Roothaan, Societatis nostrae Praepositus Generalis, quum in Galliam venisset, Pellico sibi obviam eunti magnopere est gratulatus, quod in rebus paene desperatis egregiam virtutem praestitisset; siquidem tanta rerum subversio nonnullis etiam ex nostris sodalibus, qui magnam virtutis opinionem cepissent, mentem et consilium arripuisset. Praeterea Pellicum in locum P. Ioannis Antonii Grassii vita functi, quem a negotiis italicis expediendis Romae habuerat, iam tum sufficere decrevit. Res enim in Italia, tum sacrae, tum civiles, quietiores esse coeperant. Igitur Pellicus, sub initio anni MDCCCL, quum provinciae Taurinensis administrationem Alexandro Ponzae a S. Martino cessisset, in Italiam se restituit, et Neapoli primo conventui interfuit Scriptorum ephemeridum, quae tum primum erant edendae, et sibi nomen adsciverant *La Civiltà Cattolica*. Hos inter scriptores, quorum coetui adscriptus est, breve admodum tempus est commoratus. Hinc Romam accersitus, *Assistentis* italici officium apud Praepositum Generalem nostri Ordinis obire coepit. Quo in munere ephemerides oblivioni non dedit. Quum enim plurimi exstarent, qui hoc genus scripturae in nostra Societate aequis oculis non aspicerent, quod periculi plenum dicerent, et hac de causa amandandum, Pellicus ephemerides illas pro viribus tuendas suscepit, ut ei magna ex parte acceptum referri debeat, quod non modo non corruerint, sed firmissime steterint, et magnopere viguerint. Maximo etiam, tum opera, tum consilio, incitamento ac praesidio fuit P. Henrico Vasco in nova illa studiorum ratione conscribenda atque invehenda, cuius originem, naturam et exitum in Vasci elogio opportunius explicabimus.

Triennio post, quum Ioannes Roothaan vita excessisset, Pellicus *Assistentis* officio perfunctus, a novo Praeposito Generali expoposcit, ut in provinciae Lugdunensis iura transcriberetur.

Quo obtento, Lugdunum venit, et Nostrorum rector, dein institutor iuniorum sacerdotum, qui religionis tirocinium instaurant, est constitutus. At socii provinciae Taurinensis, ac praecipue Alexander Ponza a S. Martino, horum praepositus, qui tanti sodalis iacturam aegerrime ferebant, nihil intentatum reliquerunt, ut denuo in hanc provinciam cooptaretur. Quum itaque res e sententia cessisset, Pellicus, Lugduno profectus, Bononiam in Italiam properavit, et domum Exercitiorum, quae inibi, ut huius urbis Archiepiscopo fieret satis, constituta erat, biennium est moderatus. Quo circumacto, Romam est accersitus, et domus Sancti Eusebii rector, et magister iuvenum nostrorum, quos Tertianos appellamus, dictus est. Ibidem usque ad annum MDCCCLXX est commoratus, anno MDCCCLXI excepto, quo tempore iterum Lugduni constitit, agri evangelici operarius assiduus.

Interim Ioannes Matthaeus Ciravegna, qui anno MDCCCLXX provinciae taurinensis praefecturam auspicato susceperat, quum magnum collegium litteris tradendis Monoeci ad oram ligurem contituisset, nil potius habuit, quam Pellicum, minus commoda valetudine Romae utentem, in suam provinciam revocare, ut novo collegio, ea qua pollebat sapientia, moderando praeesset. Quadriennio post, Pellicus Cherium est missus, et domus Antonianae rector, atque una tironum nostrorum magister est adlectus. Ibi vero terram sideribus commutavit, senio confectus, anno aetatis octogesimo altero.

Statura fuit modica, uti Silvius frater, cuius etiam oris lineamenta, animi bonitatem, et morum suavitatem retulit. Sapientia, prudentia, atque in primis caritas inter eius virtutes commemorantur. Tanta enim fuit mansuetudine, ut a suis sodalibus Sancto Francisco Salesio compararetur. Enimvero huius praeclarissimi ac suavissimi Ecclesiae Catholicae doctoris caritatem aemulari apprime studuit; quippe cui a teneris, una cum matre, foemina religiosissima, addictissimus fuit. Sunt qui scripserint, Pellicum sibi nomen Franciscum adscivisse quo die nostram Societatem est ingressus. At falso. Nam ad sacrum Baptismatis fontem Franciscus Leander est appellatus, et Francisci nomine a matre et sorore, aliisque compluribus, antequam nostram Societatem amplecteretur, appellari solebat (7).

« Satius est, inquit (Franciscus Pellicus), aeternam eius animae requietem a Deo precari ».

Neque minus animi demissione eluxit, qua nimirum, ut quisque eo intime utebatur, ita illum quam maxime suspiciebat. Quum *Assistentis* Italiae munus explevisset, confestim ad pedes Henrici Vasci, domus *professorum* romanae administri, se abiecit, et « Iam tui, inquit, sum iuris; quidquid praecipies, libenter praestabo ». Itaque cunctis, praesertim vero Ioanni Roothaan, supremo moderatori, carissimus exstitit, et singularem apud omnigenos hominum coetus virtutis laudem promeruit.

De se, deque Silvio nunquam nisi rogatus verba fecit. De quo si quando sermonem habebat, non de fratris doctrina, aut de compede durissima, qua idem Silvius in Spilbergii carceribus, diutino annorum lapsu, revinctus fuerat, sed de ipsius in Deum pietate loquebatur. Cuius etiam fratris duo monimenta apud se religiose tuebatur: compendium videlicet precum romanarum, quod Breviarium nuncupamus, et sigillum ex elephanto, hanc sententiam prae se ferens *Sursum corda*. His enim Silvius, ingravescentibus annis, uti consueverat. Haec, Pellico vita functo, in urbem Salucias apud nostros sodales translata sunt, et Saluciensibus gratissima exstiterunt.

Qua de re hoc etiam praedicatum accepi, quod Pellici religionem ac modestiam magnopere commendat. Hic quum aetate iam devexa Cherii degeret, et cives Salucienses incredibili eius videndi desiderio flagrarent, a nostris moderatoribus eorum in urbem est missus, ut piis Virginibus a Sancta Ursula nuncupatis sacras per triduum conciones traderet. Ut illuc devenit, a civibus primoribus, ad ipsum urbis ingressum, perquam honorifice exceptus est. Quum autem in forum simul omnes processissent, atque eorum unus Silvium marmoreo ibi simulacro expressum Pellico commonstrasset, hic oculos attollens, et caput detegens: « Satius est, inquit, aeternam eius animae requietem a Deo precari ». Hisque dictis, davidicum psalmum, quem piis fidelium manibus indulget religio, submisso ore fundere coepit. Alia multa religionis et pietatis documenta hac in urbe reliquit; ita ut cives, iam non modo eum suspicerent, quod Silvii frater exstaret, verum etiam quod vir esset singulari omnino virtute praeditus, neque hominum laudes, sed Dei gloriam atque animarum salutem unice spectaret. Itaque ambo digni sunt habendi, qui omnium bonorum animis perpetuo insideant.

OPERA EDITA ET INEDITA

1° *A Vincenzo Gioberti Francesco Pellico della Compagnia di Gesù.* Genova, Tipografia Ferrando, MDCCCXLV, 8°, pp. 423.

2° *Protesta del Padre Francesco Pellico D. C. D. G. alla Camera, e ai Deputati in Torino.* (*L'amico Cattolico,* pag. 154-6, Lugano, 1848).

3° *Lettere di illustri scrittori a Tommaso Vallauri.* Torino, 1880, 8°. Inter has litteras invenitur etiam epistola Pellici, p. 401-2.

4° Argumenta, de quibus scripsit in Ephemeridibus, *La Civiltà Cattolica*, haec sunt:

a. *Programma delle Riviste.* Serie prima, Vol. I, pag. 97, 227.

b. *Pio IX.* (Fasti). *Sua protesta contro la legge Siccardi.* Serie prima, Vol. I, pag. 228.

c. *Origine della parola* **Liberale**. Serie prima, Vol. II, pag. 51.

d. *Un nuovo tributo a S. Pietro.* Serie sesta, Vol. X, pag. 641.

A. *Lettera del P. Francesco Pellico a Mons. Andrea Ighina, in data 22 aprile 1884.* In hac epistola agitur de virtute Obedientiae. Ighina eam, nostrorum sodalium consilio, publici iuris non fecit.

B. Aliquot Pellici epistolae magni omnino momenti ad Carolum Albertum Sardiniae regem, ad Magistratus Subalpinos, aliosque viros primores conscriptae, asservantur in tabulario provinciae taurinensis. Nemo adhuc eas edidit.

C. Exstant in eodem tabulario complura eius manu exarata, in quibus de re morali, ac de religiosa perfectione sermo habetur. Horum tamen tractatio ad exitum non est perducta.

NOTAE

(1) Vide — Ilario Rinieri: *Della Vita e delle Opere di Silvio Pellico.* Volume Primo. Libreria Roux di Renzo Streglio. Torino, 1898.

(2) Goffredo Casalis: *Dizionario Geografico*, volume XVII. Torino 1848, presso Gaetano Mospeno libraio e Giuseppe Marzorati tipografo.

En verba huius auctoris, in nostram Societatem maxime infensi: « Increscevole fatto è che Pellico Francesco con meraviglia di tutti i suoi colleghi, appigliatosi dapprima alla Società (dei Gesuiti) finì per abbracciarne l'istituto ».

(3) Ex tabulario Provinciae Taurinensis Soc. Iesu.

(4) Iophredus Casalis, in opere supra memorato, haec habet: « Un suo libro sotto il nome di lettera, indiritto al Gioberti, fa prova d'aver egli (Francesco Pellico) non poca facilità di scrivere, di conoscere tutti gli artifizi dello stile, e ad un tempo tutte le gesuitiche frodolenze. Questo libro cattivo per le intenzioni, pessimo per le sottili calunnie, di cui è sparso, fece nascere, la Dio mercè, il *Gesuita Moderno;* opera meravigliosa, di cui tutti sanno gli ottimi effetti. I calcoli del P. Francesco andarono in gran parte falliti. Se per altro accadesse, che l'abbominata Compagnia trovasse ancora i mezzi di sostenersi in piè, il Pellico ne diventerebbe probabilmente il Generale, sì pei fatti numerosi, onde se le rese benemerito, e sì principalmente, perchè a questo tempo nessun altro Gesuita è fornito come lui di svariata istruzione, e di finissimi accorgimenti; ma qualora ciò avvenga, egli, in quei momenti, in cui la sinderesi più altamente si scuote, arrossirà di avere bruscamente rinunziato i principii, dei quali in sua giovinezza fu imbevuto nello splendido Torinese ateneo, ove mai sempre dalla sacra facoltà si professarono le più pure teologiche dottrine ». Vol. xviii, pag. 856. Meminerit lector, Vincentium Giobertium olim dixisse, se omnibus Iesuitis amicum futurum, si eos Francisco Pellico similes esse sciret.

(5) Haec omnia, et quae sequuntur praecipua, sunt deprompta ex tabulario provinciae taurinensis, et privatis notitiis nostrorum sodalium.

(6) Sunt qui videntur ignorare, sodales Societatis Iesu ex tota ditione Sardiniae regis, iussu ipsius regis Caroli Alberti, eiectos esse. Itaque iuvat afferre documentum, cuius exemplar autographum asservatur in tabulario Provinciae taurinensis Societatis eiusdem:

G.de Cancelleria di S. M.

Torino, il 2 Marzo 1848.

M.to Rev.do Padre Oss.mo

Gravi considerazioni rappresentate a S. M. dalla condizione stessa delle cose, hanno persuaso la sua Sovrana saviezza che la presenza dei RR. PP. Gesuiti in questi Regii Stati era divenuta assolutamente inconciliabile con la conservazione in essi della pubblica tranquillità e con la sicurezza medesima di quei Religiosi.

Dall'evidenza di questi motivi così imperiosi indotta la M. S. si è degnata di darmi l'incarico d'annunciare col di Lei mezzo, ai Religiosi summentovati, essere sua Sovrana intenzione che abbia a cessare la loro dimora in questi Regii Stati.....

Prego V. P. M.to R.da di accogliere gli atti della ben distinta stima con cui ho l'onore di professarmi

Della P. V.

Dev.mo Obb.mo Serv.e

AVET.

Al M.to Rev.do Padre provinciale
de' Padri Gesuiti
Torino.

(7) ILARIO RINIERI, in opere supra memorato.

IOSEPHVS FANTONI

XVIII.

IOSEPHVS FANTONI

Hic fuit Bugellensis, et nobili genere ortus anno MDCCCXIX. In patria a matre pientissima, dein Taurini in Collegio Nobilium a nostris sodalibus ad omnem pietatem eductus est. Eodem in collegio iis omnibus doctrinis est eruditus, quae iuvenili aetati maximo sunt honestamento, et contubernales ingenio et doctrina quam longissime anteivit. Septemdecim annos natus, Societatem nostram cupidissime expetivit. Quod elegantis ingenii, incensae religionis et firmi propositi non levia ediderat specimina, celeriter arripuit quod alacriter postulavit.

Exacto Cherii pio tirocinio, litteras mansuetiores recoluit breve admodum tempus sub Isaïa Carminatio, dein biennium integrum sub Tarditio et Montanario. Exinde Taurini rem grammaticam annum unum docuit, ibique ad philosophiam tres annos mentem appulit. Quum huic disciplinae colendae se aptissimum comprobavisset, confestim Iriam est missus, ut in collegio Societatis nostrae logicam, metaphysicam et ethicam explanaret, et, biennio expleto, Genuam venit, ut physicam et mathesim in Collegio Albertino traderet. Quibus in muneribus praestantissimus est habitus.

Anno MDCCCXLVIII, quum tota Italia, ac praesertim in Subalpinis, turbae magnae excitatae, et iura omnia sacra et civilia permixta essent, Fantonius fuga salutem non quaesivit, neque

exul patria carere voluit; sed, sacerdotio inito, Taurini consistere est ausus. Ibi privatus sacrae theologiae studio indulsit, ac tametsi tum temporis palam mutire grande piaculum ac periculum erat, tamen, ducto calamo, cum religionis et publicae tranquillitatis turbatoribus acerrime conflixit.

Hinc Lavallium in Galliam se conferre est iussus, ut rerum divinarum studia rite persolveret. Quibus persolutis, Anicium properavit, ibique alterum pietatis tirocinium confecit. Eum subinde *Civilitatis Catholicae* scriptores secum voluere, ut Romae ea ipsa in acie decertaret, in qua, paucis ante annis, Augustae Taurinorum prima eademque egregia stipendia meruerat. Itaque ex Gallia Romam venit, et paullo post religiosae professionis vota sollemniter nuncupavit.

Ad triginta annos cum illis scriptoribus commoratus, eorum opinioni cumulate respondit. Plurima scripsit de re critica, vel controversa, atque ad aliorum opera dignoscenda accuratissime incubuit. At in chronicis redigendis egregiam ac diuturniorem operam posuit; quippe huic labori ad viginti ipsos annos insudavit, et eo delectu, ordine et iudicio facta recensuit, ut non chronica perscribere, sed historiam contexere visus sit. Quamobrem viri, rerum publicarum peritissimi, eius recensiones magni faciebant; quin etiam quidam summae ditionis dynasta, quo facilius eas consuleret, illas ipsas in suo amaltheo, seiunctis voluminibus inclusas, religiose asservabat. Quapropter Fantonius singularem doctrinae opinionem cepit, et plurimam apud omnes laudem tulit. Praeterea, ob urbanitatem et caritatem, quibus sodales complectebatur, rector Collegii *Civilitatis Catholicae* est creatus. Quo in munere obeundo tantam apud collegas gratiam iniit, ut eorum omnium officia sibi penitus demeruerit.

Vir antiquae pietatis, complures huic alendae ac fovendae labores pertulit. Tum cleri, tum populi viri praecipui, ac bene multi, sese ei in virtutis semita, vel arripienda, vel terenda, plane tradiderunt. Neque sane arenae semina commisit, sed uberrimos fructus percepit. Etiam religiosis familiis maximo adiumento fuit. Paulae Frassinetti, Sororum a S. Dorothea Matri legiferae, cui erat a confessionibus, suasor fuit,

ne supremo sui coetus regimine se abdicaret (1). Non exiguam, nec inanem operam adhibuit, ut Sanctus Franciscus Salesius in Ecclesiae Catholicae doctorum album transcriberetur. De hac porro Ecclesia ita sentiebat, eosque sermones habere consueverat, perinde ac de matre loqueretur. Itaque in prospera christianae reipublicae fortuna, laetitia gestiebat; in adversa vero, tanto moerore afficiebatur, ut in lacrimas erumperet. De se loquebatur, uti de homine rebus quibuslibet gerendis inepto. Caelestia perpetuo inhiabat, utpote cui terrena omnia vilescerent, sordescerentque. Quocirca mors eum imparatum non offendit. Acquievit Romae, anno christiano MDCCCLXXXV; nec quisquam est repertus, qui de eo aliquid, nisi mortem, conquestus sit (2).

OPERA EDITA

1° *La Civiltà Cattolica.* Cronaca contemporanea dall' anno 1861 all'anno 1883.

2° Dissertationes (Articoli), et recognitiones (Riviste), quas edidit in Ephemeridibus *La Civiltà Cattolica* indicantur in opere, cui titulus:

Supplemento alla Civiltà Cattolica. *Indice Generale della* Civiltà Cattolica. *Aprile 1850-Dicembre 1903. Compilato da Giuseppe del Chiaro, segretario della Direzione.* Roma, Ufficio della *Civiltà Cattolica*, Via Ripetta 246. Anno 1904.

Harum itaque argumenta hoc ordine recensentur. Primus numerus paginam supplementi indicat; reliqui, sub finem, seriem et volumen earundem ephemeridum.

2 **Acustica.** *Memorie del prof. Zantedeschi.* Serie III, Vol. 11.
4 Alfieri V. *Sul suo monumento in S. Croce di Firenze.* III, 9.
11 **Archeologia.** *La Sibilla Tiburtina.* III, 7.
12 **Aria.** *Colonne vibranti nei tubi sonori.* V, 5.
17 **Astronomia.** *Di un nuovo pianeta scoperto tra Mercurio e il Sole.* IV, 5.
18 **Atmosfera.** *Sua potenza meccanica.* IV, 10.
21 **Bachi da seta.** *Utilità del* morus iaponica. V, 9.
22 Bardi B. *Praelectiones Biblicae.* III, 6.
» **Barometro.** *Il barometro idrargirostatico moltiplicatore.* V. 3.
25 Belli A. *La tradizione vendicata dai vecchi errori ai dì nostri rinnovati da L. Desanctis.* III, 2.
29 *Bollettino (Il) meteorologico compilato dal P. A. Secchi.* V, 2.
32 Briano G. *Il re costituzionale.* III, 5.
» Brignole-Sale A. *Considerazioni sopra la Quistione romana.* IV, 5.
35 **Calorico.** *Distribuzione e scambio.* IV, 10.
37 *Caratteri a stampa o manoscritti. Loro ravvicinamento.* V, 10.
43 Cercià R. *Manuale cattolico.* III, 2.
53 **Cloroformio.** *Suo uso.* IV, 7.
» **Colera.** *Relazione della invasione della provincia ferrarese.* III, 10.

54 *La cometa del giugno 1860.* IV, 7.
» *Idem del giugno 1861. Ricerche del P. A. Secchi.* IV, 11, 12.
56 *Dispaccio dell'Em.mo card. Antonelli a Mons. Nunzio di Parigi.* VII, 10.
60 *Delle accuse fatte nel Congresso di Parigi contro la Stato Pontificio.* III, 3.
64 *Correnti (Le) marine.* IV, 10.
65 Cottolengo. *Il suo ospizio a Torino.* I, 10.
69 Dandolo T. *Alcuni brani delle storie patrie di Giuseppe Ripamonti tradotti.* III, 6.
» Dandolo T. *La Guida al Cielo del card. Bona commentata.* III, 6
38 Carga Ven. G. A. *Vita.* III, 2.
39 **Carta.** *Nuova maniera per fabbricare la carta.* V, 9.
» Carutti D. *Il regno di Vittorio Amedeo II.* III, 4.
70 D'Azeglio R. *La Corte di Roma e il Vangelo.* IV, 4.
» De Broglie A. *La lettera imperiale.*
71 De Corcelle. *Il Governo temporale di Pio IX.* IV, 5.
» De Falloux D. *Dovere nelle circostanze presenti.* IV, 5.
74 De Sanctis G. *Sua vita per G. F. Luquet.* III, 7.
» Desbassayns. *Il Papa e il Congresso.* IV, 5.
» De Segur. *Il Papa.* IV, 5.
75 **Diamagnetismo.** *Conclusioni del Matteucci.* IV, 1.
79 *Scritti varii di N. Tommaseo, R. D'Azeglio, F. Ugolini, ecc. contro la Sovranità temporale dei Papi.* IV, 4.
80 *Opuscoli vàrii intorno la Sovranità del Papa.* IV, 5.
» *Esame critico dell'opuscolo* Il Papa e il Congresso. IV, 5.
» *Storia degli Stati della Chiesa.* IV, 5.
88 *Fenomeni della scarica elettrica attraverso i gas.* IV, 12.
95 **Febronianismo.** *I Febroniani e i Gallicani rispetto al Concilio Ecumenico.* VII, 10.
» **Ferite.** *Specifico per la loro cura.* IV, 3.
96 **Ferro.** *Sua struttura e sue proprietà.* IV, 1.
» **Ferrovie.** *Sotto il Tamigi.* V, 7.
» » *Un ponte tubolare nel Canadà.* III, 10.
» » *Buoni risultati ottenuti.* VII, 4.
» *Fiamme (Le) sonore.* III, 12.
98 Finazzi G. *La libertà della stampa e la censura ecclesiastica.* IV, 1.
100 **Fotografia.** *Delle sue applicazioni.* IV, 12.
101 *Napoleone III e il Concilio Ecumenico.* VII, 10.
102 Franco S. *Risposta alle obbiezioni più comuni contro la Religione.* IV, 3.
103 **Fuoco.** *Preservativo contro il fuoco.* IV, 7.
» » *Il fuoco liquido.* IV, 6.

105 **Gas**. *Gas trovato nel Chandor per la illuminazione*. IV, 2.
» » *Motori a gas Lenoir e Barsanti*. V, 9.
111 Gioberti. *La filosofia della Rivelazione*. III, 5.
114 **Gotta**. *Monografia sulla medesima*. IV, 7.
115 **Grandine**. *Sua teorica*. IV, 8.
118 Humboldt A. *Cenni biografici*. IV, 2.
120 **Immacolata Concezione**. *La dogmatica Definizione dell'Immacolato Concepimento di Maria SS. per Gualco D.* III, 3.
127 *La guerra liberale contro la Chiesa*. V, 10.
Hanc dissertationem conscripserunt Oreglia et Fantoni.
134 **Italia**. *Storia dal 1815 al presente*. III, 10.
» » *La pace e l'Italia a giudizio della* Rivista contemporanea. III, 2.
» » *Il risorgimento e il ritorno del Cavour dal Congresso di Parigi*. III, 4.
137 Kulczycki L. *La Polonia e l'Italia dinanzi a Pio IX*. IV, 5.
154 **Locomotive**. *Locomotive pei monti*. V, 9.
155 **Luce**. *Luce artificiale. Studii e risultati*. IV, 12.
156 **Luna**. *Fotografie del Secchi e del Bulard*. III, 10.
» » *I crateri della luna*. III, 10.
» » *Influenza che ha sulla terra*. IV, 2.
» » *Corone e protuberanze*. IV, 7.
157 **Macchina** *pneumatica*. IV, 9.
164 *Mastodonte (Un) scoperto a Narni*. III, 12.
167 Mazzucotelli A. *La Chiesa cattolica e le Comunioni eterodosse*. III, 7.
168 **Meteorologia**. *Progresso dei suoi studii*. III, 11; IV, 10.
169 Miley. *L'Imperatore Napoleone III e il Papato*. IV, 5.
» *Mine (Le) sottomarine*. V, 7.
170 Moigno A. *Manuel de la science*. IV, 2.
» **Moncenisio**. *Suo traforamento*. III, 10; IV, 2; V, 5; 6; 10; VII, 4.
172 *Motore (Nuovo) elettro chimico*. IV, 6.
176 **Naufraghi**. *Armi da fuoco in loro soccorso*. V, 5.
» **Navi**. *Il* Great-Easter *all'asta*. V, 9; V, 10.
» » *Nuova forma di timone*. V, 9.
177 **Nervi**. *Influenza delle correnti elettriche*. IV, 6.
» **Nevralgie**. *Loro cura con la elettricità*. IV, 5.
182 *Organoscopio (L') fotoelettrico*. IV, 5.
183 **Osservatorio**. *Strumenti donati da S. S. Pio IX*. IV, 3.
185 **Paludi**. *Utilità del* Nuphar luteum. IV, 8.
187 **Parafulmini**. *Ricerche intorno ai medesimi*. V, 4.
195 Pianciani G. B. *Sua necrologia*. V, 2.

196 **Pianeti**. *Loro virtù fitogenica*. III, 11.
» **Piante**. *Assorbimento ed esalazione dell'acido carbonico*. III, 12.
197 **Pila**. *Modificazione della pila Daniell*. IV, 3.
» » *Come assorbire i vapori deleterici nelle pile Bunsen*. V, 9.
200 **Pio IX**. *Suo viaggio negli Stati Pontificii*. III, 7.
» » *Suo governo temporale per* F. D. Corcelles. IV, 5.
204 *Polvere da fuoco economica*. V, 5.
» Porro C. M. *Institutiones Theologicae*. III, 7.
208 **Proprietà** *ecclesiastica*. III, 2.
» *Propulsatore a elice del signor Vergne*. XIII, 12.
224 **Religione**. *Manuale cattolico, per* R. Cercià. III, 2.
» » *Erudimento di Fede, per* G. Storni. III, 2.
» *Reoautometro del prof.* Lo Cicero. IV, 1.
224 **Respirazione**. *Teorica del* Mistcherlich. IV, 3.
226 Ricotti E. *Vita e scritti di C. Balbo*. III, 9.
» **Rivelazione**. *Sua filosofia per* V. Gioberti. III, 5.
234 *Antichità cristiane trovate nell'isola di Sardegna*. IX, 3.
240 *Meteorografia*. Secchi A. IV, 3.
243 *Sismometro (Il) del P. Cavalleri*. III, 2.
244 *Sodium (Il) nello spettro solare*. IV, 12.
245 Solaro della Margherita. *Risposta all'opuscolo* Il Papa e il Congresso. IV, 5.
» **Sole**. *Sua orbita*. III, 11.
» » *Quadro fisico del sistema solare del* P. A. Secchi. IV, 1.
» » *Macchie*. IV, 7.
» » *Ecclissi del 18 luglio 1860*. IV, 7.
» » *La cagione dei raggi curvi nella corona delle ecclissi*. IV, 9.
» » *Analisi prismatica*. IV, 12.
» » *L'ecclissi del 18 agosto 1868*. VII, 4.
250 **Stelle cadenti**. *Esperimenti e conclusioni del* P. A. Secchi. IV, 12.
251 Storni G. *Erudimenti di Fede e morale cristiana*. III, 2.
256 **Terremoti**. *Studii*. III, 10.
» » *a Norcia*. IV, 4.
» **Tessuti**. *Modo di accertare la loro purezza*. V, 7.
» **Tetano**. *Sua cura*. IV, 8.
257 **Thallium**. *Scoperta di questo metallo*. V, 3.
» *The Verba (Il)*. V, 10.
259 **Toscana**. *Ordinamenti economici per* A. Zobi. IV, 1.
265 **Veleni**. *Preservativi contro i medesimi*. III, 10.
265 **Venti Alisei**. *Origine e leggi*. IV, 10.
267 Villemain. *La Francia, l'Impero e il Papato*. IV, 5.
» **Vino**. *Metodo per scoprirne la falsificazione*. IV, 3.
» Volpi R. *L'Unità d'Italia*. IV, 5.
272 **Zolfo**. *Sua efficacia contro le malattie cutanee e contro l'*oidium. V, 5.

NOTAE

—

(1) Alfonso Capecelatro. *Vita della Serva di Dio Paola Frassinetti.* Capo XXIII, pag. 435. Roma, Tip. Desclèe. MCM.

(2) Quae de Fantonio narravimus sunt excerpta ab ephemeridibus — *La Civiltà Cattolica* — Serie XII, Volume 9, pag. 366; ex tabulario prov. Taur. S. I. et ex privatis notitiis.

IOANNES-BAPTISTA BARONI

XIX.

IOANNES BAPTISTA BARONI

DIANI ad oram ligurem natale solum est nactus, anno reparatae salutis MDCCCXVII. Adolescens Oneliam, proximam in urbem, quotidie pedes se conferebat, ut sodales Calasanctianos praeceptores audiret. Ab his itaque ad omnem litterarum humanitatem est eductus. Ingeniosus, sedulus, pius, aequalium admirationem excitavit, eorumque et praeceptorum voluntatem sibi penitus adiunxit. Iuvenum societatem vitabat, solitudinem in deliciis habebat, ut saepenumero ad maris litus inter scopulos impendentes sese abderet, ibique lectioni operam daret. A prima aetate se totum Virgini Deiparae devovit. Suasore sodale Dominiciano, quem de religiosa vita capessenda consuluerat, Societatem Iesu ceteris Ordinibus religiosis praeoptavit; eamque est ingressus Cherii in Subalpinis septemdecim annos natus.

Expleto religionis tirocinio, Isaïam Carminatium, rhetorem clarissimum, magistrum habuit; cuius ductu, eo est progressus, ut condiscipulis longe anteverterit. Subinde Augustae Taurinorum philosophiae egregiam operam navavit. Hinc Calarim in Sardiniam est profectus, rem grammaticam docturus. Hoc munus triennio obiit; quo etiam tempore latinos scriptores omnes perlegit. Exinde a suis moderatoribus est revocatus, causa interposita, binos eo in collegio rhetores reperiri, quorum alter non rhetoricam, uti par esset, sed grammaticam doceret. Itaque

primum Iriam, politiorum litterarum doctor, dein Nicaeam ad Varum rhetor est missus; quamque sui expectationem excitaverat, hanc utrobique, non modo non fefellit, sed longe superavit. Exeunte anno MDCCCXLV, quod non modo in levioribus, sed in gravioribus disciplinis addiscendis ingenio ceteris praestaret, Romam est accitus, ut in Athenaeo Gregoriano theologiae stadium emetiretur, eodemque tempore alumnis Collegii Nobilium in philosophia recolenda praeesset.

Ea in urbe, quamquam studiis gravissimis distentus, vitam conscripsit, vulgavitque Ioannis Baptistae Prever et Aloisii Corradini. Item orationem latinam elegantissime concinnavit de Maria Virgine sideribus recepta. Quum itaque quantum in litteris valeret, etiam Romae artium magistrae innotuisset, in coetum hominum litteratorum, quibus ab Arcadiae pastoribus fit nomen, est receptus. Quocirca lepide aiebat, se, quamquam paupertatis voto obstrictum, tamen agros complures, ovesque, bovesque in Graecia possidere, a quibus nihilo secius nullum unquam fructum cepisset, vel capturus esset.

Secuti sunt, anno MDCCCXLVIII, civiles motus, quibus Italia, non modo, sed Europa paene universa pessum ire visa est. Itaque Baronius, sacerdotio propere initiatus (1), Dianum in patriam suam contendere est iussus, ibique apud suos delituit. At vero oceanum potius transnare, et in sacris expeditionibus vitam vel ipsam pro religione pacisci constituit, quam in domo paterna diutius immorari. Quam ob rem, Italia pacata, neque lacrimis, neque precibus suorum, praecipue matris, a qua plus anima diligebatur, moveri potuit, quin datis litteris reditum extemplo a suis praesidibus impetraret. Itaque ab iisdem Romam revocatus, ibique theologicis studiis absolutis, doctoris laurea est honestatus.

Post haec Neapolim est accersitus, ut, pro nostris moribus, pietatis tirocinium instauraret; quo ad exitum perducto, sodales iuniores provinciae neapolitanae triennium rhetoricam docuit, et singulare doctoris nomen in ea provincia sibi comparavit. Hoc tamen est fatendum, Baronium, in praeceptis tradendis et scriptoribus enarrandis, stilo elatiore usum esse, ut pauci admodum invenirentur, qui eius lectiones plane assequerentur.

Quibus annis Baronius Neapoli constitit, opellam conscripsit, qua historiam contexuit piarum sodalitatum, quas Venerabilis Pater Franciscus Pavonus instituendas curaverat. Eadem in urbe ad sollemnem quattuor votorum professionem evectus est. Dein in Salentinos est profectus, artem rhetoricam Lyciensibus traditurus. Ad octo annos apud eos est moratus tanta tum discipulorum, tum civium consensione, ut hi nihil intentatum reliquerint, quo eum diutius in suis retinerent moenibus. At vero P. Ioannes Baptista Ponte, provinciae taurinensis praepositus, in suam illum provinciam revocavit, ut Monoeci ad oram ligurem iuniores sodales eiusdem provinciae ad litterarum honestatem informaret. Hos inter exstitit Andreas Bonius, praestantis ingenii adolescens, qui postmodum rhetor praeclarissimus evasit.

Anno MDCCCLXIV Baronius Senas in Etruriam contendit, et in sacro ephebeo, annos tredecim, magisterio pietatis et theologiae dogmaticae est functus, Sanctos Patres est interpretatus, graecos scriptores enarravit, et praecepta eloquentiae alumnis per vices tradidit. Maximo praeterea in rebus aliis compluribus adiumento fuit Henrico Bindio, ephebei moderatori et postea Senensium Archiepiscopo, eique tam carus exstitit, quam qui carissimus. Hic enim Baronium, ob doctrinam ac prudentiam singularem, ad consilium saepissime adhibuit, eiusque opera, ad clerum et populum in pietate excolendum, est usus.

Idem Archiepiscopus, quamquam latini sermonis eruditissimus erat, quod tamen multis negotiis distinebatur, litteras suas encyclicas Baronio tradere solebat, latina civitate donandas. Has vero Baronius tanta elegantia exornabat, ut ephemerides, quae a *Civilitate Catholica* nomen mutuantur, eas, non modo ob sententiarum delectum, sed etiam ob eloquii proprietatem, nitorem ac venustatem, ad caelum extulerint. Silentio demum non transmittendum, Bindium, magno olim timore correptum, ne Baronius a suis moderatoribus alio arcesseretur, nullum lapidem non movisse, ne res exitum haberet; ac palam professum esse, se, ubi opus foret, Summum Pontificem appellaturum. Per id etiam tempus, munus historiae Societatis Iesu supplendae, a Iulio Caesare Cordara conscriptae, Baronio latinae consuetudinis peritissimo, a P. Praeposito Generali nostri Or-

dinis est demandatum; quod is utique esset aggressus, nisi tabularium eiusdem Societatis, temporum asperitate, repente occludi, obsignarique opus fuisset.

Anno MDCCCLXXVII, Ioanne Pierallinio, novo Senensium archiepiscopo, pro viribus obsistente, Baronius in suam provinciam revocatus, praeposito provinciali socius obtigit; illumque, anno insequenti, in eadem provincia moderanda excipere est iussus. Tum vero cognitum est, quantum eius animi demissio ceteris antistaret virtutibus. Is nempe, qui omnibus subesse, quam vel uni praeesse, perpetuo studuisset, nullam non adhibuit industriam, ne delatum honorem adiret. At, suscepto ex ipsa obedientia munere, provinciae imperium triennium feliciter obtinuit. Inter cetera ab eo praeclare hoc tempore patrata, novam domum, seu Residentiam, uti nos appellamus, nostris sodalibus in urbe Sancto Romulo statuit, et sub exitu regiminis, Patri Aloisio Sammarzanio, qui de magno collegio Augustae Taurinorum constituendo cogitabat, consilio probato, stimulos adiecit, auxilioque fuit, ut rem perficeret. Quae res postmodum felicissimum eventum nacta est. Triennio exacto, Praepositum Generalem enixe rogavit, ut denuo esset, qui fuisset; is nimirum, qui nulli imperaret, sed cunctis pareret. Tamen suorum sodalium, qui Genuae, dein qui Taurini, atque iterum qui Genuae degerent, moderator est dictus. Gravi morbo correptus, Dianum in patriam suam, medicorum consilio, secessit, si forte revalesceret. Quum meliuscule se habere coepisset, haec ad sodales carmina per litteras misit:

Pectoris et capitis, si quaeritis, omnia recte;
Crura tamen nutant, officiumque negant (2).

Iisdem sodalibus, haec postrema vehementer indolentibus, breve post tempus ita rescripsit:

Denique laeta cano; nunc rursus crura virescunt,
Et licet optatam longius ire viam.

Sed morbo recrudescente, anno aetatis undeseptuagesimo plus minus, ibi mortem obiit, ubi vitam inierat.

Is fuit eius vitae cursus praecipuus; cuius tamen ratio cumulatius est explicanda, quo eius virtus clarius eluceat. Dei gloriae et hominum salutis studiosissimus fuit, atque adeo laboris

patiens, ut nihil unquam non egerit. Quamquam litteris, vel scientiis tradendis, vel sodalibus moderandis erat intentus, tamen in sacras etiam conciones incubuit. Genuae in aedibus Sancti Syri et Sancti Laurentii, aliisque in urbibus, sermones habuit, et pias Sancti Patris Ignatii exercitationes clero, populo, religiosis sodalitatibus et familiis saepenumero explanavit. Quibus in muneribus omne tulit punctum. Erat enim sacrae eloquentiae consultus plurimum, perpolitus, festivus, doctus, eruditus, vehemens, et animi motibus excitandis idoneus quam qui maxime. Itaque nemo erat, cui non acceptissimus esset.

Extremo vitae tempore, his muneribus obeundis, et admissis poenitentium pro sacro tribunali expiandis, ita se applicuit, ut quam firmam corporis valetudinem a natura sortitus erat, penitus attriverit, et maturius decesserit. Nam et multa itinera satis longa pedes conficere solebat; nec ieiunia servare, nec corpus flagris concidere unquam destitit. Enimvero hos etiam labores, quin etiam maiores, eo ipso anno, quo vita excessit, adire non dubitavit; siquidem per dies ieiunio quadragenario sacros, conciones habuit amplius octoginta.

Inter eius virtutes, animi demissio primas tulit. Linguam latinam, uti docuimus, apprime tenebat; graecam vero adeo callebat, ut epistolas ad amicum natione graecum hellenicas daret; italicam denique egregie noverat, eamque ob causam Antonius Brescianius aliique, nostri sermonis scientissimi, suos ei libros dignoscendos tradebant. Attamen Baronius nunquam celebritati studuit; quin imo se, perinde ac nullius litteraturae homo esset, despectui habuit. Conciones et carmina, tum latina, tum italica, mira arte elaborata, apud se servabat, utpote qui artem bene dicendi, ac praecipue poësim a prima aetate impense coluisset. Nunquam tamen induci potuit, ut ne minimum quidem e suis scriptis muneri daret, quo amicorum desiderio faceret satis. Ad hoc, nisi utilitatis ratio id postularet, nihil ex eius ore prodibat, quod eximiam illam suam omnium disciplinarum peritiam comprobaret. Quod et in ceteris rebus usuveniebat. Fratrem ei fuisse, qui Aquis Stątiellis Praefecti provinciae vicibus complures annos perfunctus esset, tum demum a sodalibus est compertum, quum idem inibi pie sancteque decessit.

Haec praecipua eius animi virtus tum praesertim enituit, cum sodalium praeses constitutus est. Mansuetus, comis, affabilis, omnes perinde ac pater filios alloquebatur, nec unquam ab eius ore verbum excidit, quod acerbe sonaret. Id fuit praestabilius. Quamquam nihil admiserat, quod sibi culpae iure verteret, tamen a quodam sodale sibi subdito, in cuius offensionem contra votum inciderat, veniam demississime postulare non dubitavit. Oris modestia, mundi contemptus, et solitudinis amor plurimum etiam in eo eluxere. Ab urbium viis opulentissimis, pulcherrimisque, quas forte ingrediebatur, propere pedem referebat: neque earum monumenta, aut merces peregrinas invisere dignabatur. Si quando magni apparatus fierent, spectacula ederentur, vel pompae ducerentur, se domi tenebat, et uni Deo, vel studio intendebat.

Religiosae paupertatis amantissimus fuit. Parcissime victitabat, veste obsoleta utebatur, et ipse sibi multis in rebus ministrabat. Quum in urbe Sancto Romulo, uti supra docuimus, domum nostris sodalibus statuendam curavisset, et annui reditus ad famem propulsandam vix sufficerent, causam rogatus: « Divinae Providentiae, inquit, ratio non deerit, qua suis famulis ac filiis plenius in posterum prospiciat ». Atque ita accidit. Morti proximus, fratri sacerdoti, « Memento, inquit, me virum religiosum esse; proinde mihi vita functo, ritu modestissimo iusta persolvito ». Baronii obitus acerbissimus exstitit praesertim discipulis, quorum plures habuit magni postea nominis. Hos inter compellare libet Franciscum Zunnui-Casulam, Episcopum Usellensium et Terralbensium, qui magistri elogio conscripto, sub exitum haec adiecit:

HANC · GRATVS · PIVS · MOERENS · CORONAM · NEXVI
EAM · PORRO · TV · MAGISTER · MI · DESIDERATISSIME
VELVTI · MVLTI · PRO · ME · SVDORIS · TVI · TESTEM
MEIQVE · AMORIS · HABETO · ACCEPTAM
VELVT · TVAE · SYMBOLVM · QVIETIS · IN · DEVM
CVIVS · PRO · INSIGNI · TVO
MAIORI · GLORIAE · VELIFICATVS · ES (3)

Sacra ei parentalia nonnullis in urbibus sunt peracta, sed potissimum in patria, ubi elatus est magna populi frequentia. Eum sunt comitati sacrorum alumni, piae tum hominum, tum mulierum sodalitates, sorores a Misericordia nuncupatae, et societas matrum christianarum, quam ipse instituendam curaverat, et impense foverat. Eius exuviae in sepulcreto urbano sunt conditae, et hic titulus sepulcro superimpositus est: (4)

NELLA · PACE · DEL · SIGNORE

ACCANTO · ALLE · OSSA · DEI · GENITORI

RIPOSANO · QUELLE · DI

GIOVANNI · BATTISTA · BARONI

SACERDOTE · PROFESSO · DELLA · COMPAGNIA · DI · GESÙ

CHE · NELLE · SCUOLE · E · SUI · PULPITI

LOGORÒ · LA · VITA

A · GLORIA · DI · DIO · E · SALUTE · DEI · PROSSIMI

MORÌ · D'ANNI · LXIX · IL · XIV · DICEMBRE · MDCCCLXXXV

IL · FRATELLO · PIETRO · SACERDOTE

POSE (5)

OPERA EDITA

1° *Vita del P. G. B. Prever dell' Oratorio.* Torino, per Giacinto Marietti, 1844, 16°, pp. 168.

2° *Vita del Chierico Luigi Corradini scolare del Collegio Romano.* Roma, per Marini, 1846, 16°, pp. 80.

3° *De Assumptione Mariae Virginis. Oratio habita XVIII Kal. Sept. in Templo Liberiano ab Henrico Englefield Equite Anglo, Romani S. I. Collegii Nobilium Alumno.* Romae, ex Typographeo Salviuccio, MDCCCXLVI, in folio, pp. VIII, 13.

4° *Notizie storiche delle Congregazioni ecclesiastiche istituite dal V. P. Francesco Pavone della Compagnia di Gesù.* Napoli, Giovanni Pellizzone, 1853, 24°, pp. 81.

5° In Opella, cui titulus: *Isaïae Carminatii Auditorum Cheriensium Carmina Sacra* (Augustae Taurinorum excudit Vincentius Bona, Regis Italiae officinator librarius, anno CIↃ IↃ CCC XCVIII) in pagina 12, et 40, exstant Epigramma et Elegia a Baronio elegantissime confecta.

6° Titulos litterarum, quas Henricus Bindius, aliique Episcopi ad suum quisque Clerum et populum dederunt, et Baronius latina civitate donavit, neque in *Bibliotheca (Scriptorum) Societatis Iesu,* a Carolo Sommervogelio recens edita, neque alibi relatos invenire potui.

NOTAE

(1) Sunt qui scripserint, Baronium, Romae anno MDCCCXLVIII, a Summo Pontifice sacerdotio insignitum esse, quod vix credideris.

(2) Initium huius epigrammatis in ephemeridibus genuensibus *La Settimana Religiosa* effertur hoc modo: « Corporis et capitis etc. ». At falso.

(3) Hoc elogium asservatur in tabulario provinciae taurinensis.

(4) Quae omnia de Baronio conscripsimus, a tabulario provinciae taurinensis, ab ephemeridibus genuensibus *La Settimana Religiosa* (N. 27, anno 1885), ab opella P. Petri Galletti, cui titulus: *Memorie Storiche intorno al P. Luigi Ricasoli, e alla Compagnia di Gesù in Toscana;* et a privatis notitiis deprompsimus. Horum etiam complurium nos ipsi testes fuimus.

(5) Hic titulus confectus est a P. Aloisio Persoglio, qui, Genua profectus, Dianum maritimum venit, ut Baronio animam agenti praesens adesset. Attamen Petrus, Baronii frater, tituli verba aptiorem in ordinem redegit. Idem Persoglio pulchrum omnino Baronii elogium in ephemeridibus genuensibus, quas supra memoravimus, edendum curavit.

XX.

ALOISIVS MEREA

VITAM iniit Genuae anno salutis humanae MDCCCXIV. Iacobum fratrem natu maiorem imitatus, Societatem nostram est amplexus anno MDCCCXXXI, quo anno sodales taurinenses, a sodalibus provinciae italicae seiuncti, in novam provinciam coaluere. Cherii tum religiosae, tum litterariae vitae solidissima fundamenta iecit. Quibus iactis, Nicaeam ad Varum est missus, ut rem grammaticam, dein politiorem humanitatem in nostro collegio profiteretur. Hinc Taurinum venit, et in collegio Sanctorum Martyrum philosophos audivit; dein Iriam profectus, litteras venustiores iterum docuit. Post haec Nicaeam regressus, artem rhetoricam tradidit; atque Isaïae Carminatii, rhetoris praestantissimi, a quo Cherii litteris institutus erat, alumnum dignissimum se probavit. Subinde Taurini sacrae theologiae operam posuit, et sacerdotio insignitus Iriam venit, ibique alterum pii tirocinii annum exegit. Postea in collegio taurinensi, cui a Carmelo nomen, magisterium pietatis obiit, ac demum Iriae scholis inferioribus praefectus est, atque una conciones annuas, quas Bonae mortis nuncupamus, ad populum habuit.

Interea exortus est annus MDCCCXLVIII omnium asperrimus. Merea, Taurino expulsus, Alpibus superatis, in provinciam lugdunensem perfugium quaesivit, et institutor privatus in domo viri nobilissimi commoratus est (1). Anno proxime insequenti,

quattuor sollemnibus professorum votis Deo se obstrinxit; dein, rebus publicis in Italia iterum salvis, Neapolim accitus, tironum magistro socius obtigit, et sumptibus curandis est addictus.

Ineunte anno MDCCCLIV, in Etruriam vocatus, Florentiae et Pisis sacras conciones ad christianam plebem et ad virgines Deo devotas habuit, uberrimo animarum fructu, et ingenti bonorum omnium lactitia. Eodem anno Carrariam est profectus, et cum magistro tironum provinciae taurinensis munus consociavit. Inibi praeterea sacris confessionibus excipiendis intendit, et civibus Asiatica lue correptis magno animo adfuit diu noctuque. Hoc idem praestitit Massae-Ducis; qua in urbe sacras Sancti Ignatii exercitationes militibus tradidit tanta felicitate, ut horum etiam duces palam ad Poenitentiae Sacramentum, et ad sacram Synaxim accedere non dubitaverint. Per id etiam tempus, quum P. Ioannes Iosephus Francus, qui in Collegio Massensi rhetoricam tradebat, oculis laborare coepisset, Merea, licet tot laboribus fractus, eum excipere non detrectavit.

Anno MDCCCLV Faesulas in Etruriam properavit, et in sacro ephebeo, triginta amplius annos, quot videlicet eius vitae superaverunt, alumnorum animos, in spem Ecclesiae adolescentium, ad acerrimam virtutis normam, non minus exemplo, quam verbo, sollertissime instituit. Quippe artem iuventutis ad virtutem informandae egregie callebat, et quid tanto muneri explendo, aut prodesset, aut obesset, plane exploratum habebat. Quidquid operis auspicabatur, omen a Superis capiebat; nec quidquam ei optatius accidere poterat, quam quod ex pietate contigerat. Nulli unquam labori parsit, ut cuivis, vel consilio, vel opera praesto esset. Quod sibi concreditos adolescentes pari omnes, veluti filios, complectebatur amore, ab omnibus uti pater est habitus. Eodem in ephebeo elementa mathesis quotannis explanavit, et divinas litteras ad quadriennium est interpretatus. Anno MDCCCLIX, ab ephebeo Faesulano, ob civiles motus, qui Etruriam non modo, sed Italiam universam pessumdedere, a perduellibus expulsus, in regionem, cui Mugello nomen, apud sacrum curionem pagi, quem vocant Montecuccoli, se recepit, ibique ad annum unum delituit. Faesulas regressus in priora

munera incubuit; atque etiam identidem, praesertim per ferias autumnales, Patri Aloisio Ricasoli concionibus habendis, vel piis exercitiis tradendis, plurimo adiumento fuit.

Neque minus ad pietatem libris editis alendam, animum adiecit. Opellam *de Actu Contritionis* evulgavit. Item opusculum de Virgine Deipara e gallico sermone in italum vertit, ediditque. At potiora, extremo vitae tempore, in rempublicam litterariam eius promerita fuere. Enimvero, ut Natalis Santinii et Camilli Arborii-Mellae interceptam versionem operum Sanctae Teresiae Virginis Carmelitidis suppleret, omnes huius epistolas, atque opera, quae minora appellantur, una cum carminibus, italica civitate est impertitus, et accurate atque erudite est commentatus. Quae versio, praecipue carminum, adeo est elegans et venusta, ut nihil magis. Huic officio, ex obedientia suscepto, non modo plurimam attulit sedulitatem, sed in eo explendo nullam diuturnitatis rationem habuit. Cuidam vero percontanti, cur in hac Σπάρτῃ curanda tantopere immoraretur; « Qui legerit, inquit, non quam cito, sed quam probe eam absolverim inquiret ». Nihilo secius suum nomen latere voluit, ne qui iunior inanes hominum laudes contemptui habuisset, has senior captare videretur.

Naturae concessit Faesulis in nostra domo ad Sancti Hieronymi, in quam gravi morbo correptus statim se receperat, ut inter suos sodales e vita migraret. Universus Faesulanae Dioecesis clerus, et sacri ephebei alumni, nostrique sodales, apud quos perpetuo fuerat in honore, Mereae obitum luctu et lacrimis sunt prosecuti, eiusque memoriam animo penitus insidentem etiam nunc religiose tuentur (2). Inhumatus est in coemeterio urbano, et sepulcrum a canonico, cui nomen Toti, in ephebeo Faesulano rhetoricae praeceptore clarissimo, hoc titulo pereleganti est exornatum:

H. · S. · E.

ALOYSIVS · MEREA

SACERDOS · PROFESSVS · E · SOC. · IESV

DOMO · GENVA

QVI

SINGVLAREM · VITAE · SANCTITATEM

MVLTIPLICI · DOCTRINA · EXORNAVIT

VIXIT · ANNOS · LXXII

OCCIDIT · XII · KAL. · APRIL. · AN. · MDCCCLXXXVI

FLEBILIS · CVNCTIS · QVI · NOVERANT

NVLLI · FLEBILIOR · QVAM · MODERATORIBVS

ET · ALVMNIS · SACRI · SEMINARII · FAESVL.

DE · QVO · MAGISTER · PIETATIS · PER · ANNOS · AMPLIVS · XXX

MAIORA · MERITVS · EST

QVAM QVAE · TITVLO · SCRIBI · POSSINT

AVE · ET VALE · IN · PACE

OPERA EDITA

1° *L'Atto di Contrizione dimostrato facile contro le opposizioni di chi lo stima difficile dal P. M. P. della Compagnia di Gesù. Opera dedicata a quelli che si ritirano negli Esercizi spirituali di S. Ignazio. Edizione terza.* Torino. Marietti 1844, 32°, pp. 216.

Hoc opus alio modo effertur in editione Genuensi; ita nempe: *La Chiave del Paradiso, offerta al Cristiano, ossia l'Atto di Contrizione dimostrato facile a tutti da un Padre d. C. d. G.* Genova, 1871, 8°, pp. 204. Equidem ab aliquibus meis sodalibus audivi editum esse quin etiam concinnatum a Iacobo Merea, Aloisii fratre natu maiore. Sunt etiam qui existiment idem opus compositum esse a quodam nostro sodale ante abolitam Sodalitatem.

2° *Maria Cooperatrice alla Redenzione e Madre Nostra. Operetta scritta in Francese dal P. Pietro Jean-Jaquot d. C. d. G. e recata in Italiano da un religioso della medesima Compagnia.* Roma, Tipografia della Propaganda, 1878, 32°, pp. 200.

3° *Lettere di Santa Teresa, tradotte e disposte secondo l'ordine cronologico, e corredate d'illustrazioni e di note per un Padre d. C. d. G. Vol. I,* Modena, tipografia dell'Immacolata Concezione, 1882, 8°, pp. x-734; *Vol. II,* (item, ibidem) pp. 967.

4° *Opere minori di Santa Teresa* (scilicet): *Del modo di istituire i Conventi — Concetti sull'Amore di Dio — Sospiri dell'Anima — Avvisi spirituali — Costituzioni preliminari — Poesie* tradotte e corredate di illustrazioni e di note per un Padre D. C. D. G. Ib., Id., 1884, 8°, pp. VII-374.

Carolus Sommervogelius in *Bibliotheca (Scriptorum) S. I.* Tom. V, col. 974, haec ait: « Le P. Merea est aussi l'auteur de la traduction en vers italiens des poésies de St^e Thérèse ». At vero in eodem opere, Tom. IX, col. 667, rei oblitus, haec scribit: « Le P. Mella serait cependant le traducteur en vers italiens des poésies de St^e Thérèse, qui se trouvent dans les-*Opere Minori* ». Sed ipse Merea in prooemio carminum aperte fatetur se ea italice reddidisse,

veniamque petit, quod ausus sit tanto se oneri subiicere. *(Opere minori,* pagina 255).

5° *De Sancto Aloisio Castitatis laude florente,* Epigramma. Exstat hoc carmen in opella, cui titulus: *Isaïae Carminati S. I. Auditorum Cheriensium Carmina sacra. Edidit Salvator Casagrandius.....* Excudit Augustae Taurinorum Vincentius Bona..... anno CIↃ IↃCCC XCVIII.

NOTAE

(1) In tabella, quam Catalogum appellamus, haec manu exarata sub anno MDCCCXLVIII-MDCCCXLIX leguntur: « Aloisius Merea..... Perrônaz, prope Bourg-en-Bresse, apud Dom. du Ribert ».

(2) Alumnorum unus, quem Merea Faesulis habuit, eius elogium contexuit, et in ephemeridibus Mutinensibus, quibus nomen *Il Divoto di San Giuseppe* (anno XXIV, 19 Aprile 1886, pag. 89-92) evulgandum curavit. Idem praestitere ephemerides, quibus titulus *La Settimana Religiosa* (Genova, 4 Aprile, 1886).

Ex his et compluribus relationibus tum opellae, cui titulus *Memorie storiche intorno al P. Luigi Ricasoli, e alla Compagnia di Gesù in Toscana.* (P. Pietro Galletti, Prato, Tipografia Giacchetti. 1901), tum sodalium, qui Meream coram noverunt, hoc elogium confeci.



THOMAS GALLO

XXI.

THOMAS GALLO

NATALEM est sortitus in pago provinciae alexandrinae, cui nomen *Bandita di Cassinelle* (1). Quum vicesimum alterum aetatis annum attigisset, humanis ac divinis disciplinis egregie admodum imbutus et sacerdotio auctus, Cherium urbem se contulit, et in nostra Societate prima stipendia merere coepit. Tirocinio posito, Taurinum est missus in Collegium Sanctorum Martyrum, non tam ut philosophiam recoleret, quam ut nostram philosophiae tradendae rationem arriperet. Quum itaque ad hanc etiam se plane comparavisset, biennio exacto, Genuam contendit, eandem ipsam disciplinam alumnis Collegii Albertini explanaturus. Quo magisterio, quantum iam tum valeret, atque in posterum portenderet, nulli non patuit.

Anno proxime insequenti, qui annus fuit MDCCCXLVIII a Christo nato, Genua una cum suis sodalibus, a perduellibus eiectus, non modo Societati Iesu, quam uti matrem colebat, fidem non fefellit, sed christianae religionis propagandae studio impulsus, moderatorum venia, pelago se commisit, atque africum mare et indicum praetervectus, ad oram Madurensem navem appulit. Ibi, in urbe Negapatano, compluribus muneribus honorifice est perfunctus, et qua doctrina, pietate, ac prudentia praeditus esset, mature patefecit. Nam theologiam morum, dein philosophiam diutissime docuit, et nostrorum sodalium, qui al-

terum pietatis stadium emetiuntur, quosque tertianos nuncupamus, magister exstitit. Ad haec divini verbi praeco diligentissimus, ingentes animarum manipulos collegit. Etenim linguam Tamulicam apprime didicerat, ut indigenae, qui huius sermonis doctissimi haberentur, eius peritiam suspicerent vehementer.

Quum itaque Gallus tantus esset, tantique fieret ab omnibus, ac praecipue a primoribus, tum populi, tum Cleri, Aloisius Canoz, Madurensium Episcopus, eum uti theologum sibi adscivit, et secum Romam duxit, ut Concilio Vaticano, a Pio IX Pontifice Maximo, anno MDCCCLXX, indicto, interesset. Nam eius pietatem, doctrinam et rerum usum oppido compertum habebat, utpote qui in gravioribus suae dioecesis quaestionibus, eius consilio saepissimae usus esset. Gallus triennium in Urbe constitit, non modo ut theologi, dein eiusdem Episcopi procuratoris munus obiret, sed etiam ut opus theologicum perficeret, et in lucem ederet, quod inscripsit *Suppetiae Evangelii praeconibus, qui Madurensem missionem excolunt, oblatae.* Hoc edito opere, quantum in theologia, quae de moribus agit, excelleret, mirum in modum innotuit. Neque minus scientia christianorum dogmatum, Ecclesiae iuris, atque Indorum rituum, legum, ac morum, qua Gallus pollebat, ex eodem opere eluxit. Qua de causa maximam in christiana republica, ac praesertim in urbe Roma et in Dioecesi madurensi, doctrinae laudem tulit.

Apud Indos regressus, ad philosophiam iterum tradendam animum applicuit, eodemque tempore sacri ephebei Madurensis regimen obtinuit. Interea quum Calcuttae, in urbe indicae regionis amplissima, magnus conventus legibus ferendis haberetur, Episcopi Indiae meridionalis nihil antiquius reputarunt, quam Gallum iuris utriusque consultissimum illuc mittere, quo nimirum caveret, ne quid contra Catholicorum iura, eorum praesertim qui matrimonio iunguntur, statueretur. Itaque Gallus, hac provincia suscepta, tanta, in eadem administranda, felicitate est usus, ut adversariis ad incitas redactis, plenam de doctrinae ac disciplinae catholicae hostibus victoriam reportaverit.

Romam serius a nostris moderatoribus missus est, ut subortas in India quaestiones de Episcoporum iuribus in religiosas

familias, apud Patres Cardinales dirimendas curaret, et causam nostrae Societatis praecipue tueretur. Qua legatione felicissime confecta, quamvis provecta aetate, tertium ad Indos vela fecit, et naufragio superstes, ad suos devenit. Moderator insuper totius *Missionis* malabaricae est constitutus, et triennio circumacto, in Bombaiensi regione longum admodum tempus sacram theologiam explanavit. Ad ultimum in *Missionem* mangalorensem, quae sodalibus provinciae venetae recens commissa erat, ultro transductus, theologiam moralem sacrorum alumnis iterum enucleandam suscepit.

Viribus in dies deficientibus, scientiarum magisterio posito, in collegio mangalorensi nostris sodalibus magister pietatis est datus. Neque hoc uno labore contentus erat. Quippe indigenas consilio iuvabat, eorum conscientias regebat, expiabatque; mediastinorum curam sollicitam habebat, lites, quae forte in matrimoniis contrahendis oboriebantur, Antistitis vice, dirimebat, pias virgines Deo devotas ad religiosam perfectionem, et milites tamulicos ad pietatem sectandam informabat. Quum gravem in morbum incidisset, Maduram est missus, ut valetudinem recuperaret. Verum in itinere, apoplexi correptus, et religiosis subsidiis a P. Quintino Sani, sodale et itineris comite, munitus, in oppidulo, cui nomen Erode, obscuro scilicet in loco, uti iamdiu praenunciaverat, animam egit, et in aedicula catholica inhumatus est, anno christiano MDCCCLXXXIX, aetatis undeseptuagesimo, a religiosa quattuor votorum professione tricesimo (2).

Vir fuit, non modo doctus, sed pius in exemplum, ita ut doctrinae laudem pietate cumulaverit. Singulari in Deum et homines amore ferebatur. Orationi impense admodum intendebat, atque hinc vires haurire solebat, quibus tot labores, in Dei gloria et animarum salute procuranda, ad annos quadraginta apud Indos ultro est perpessus. Cunctis, uti suae erat opis, praesertim pauperibus, praesto erat, ut neminem unum, nisi voti compotem, vel animo tranquillum a se dimiserit. Quum in eo esset, ut terris valediceret, tanta pietate Iesu cruci appenso, cuius effigiem in manu tenebat, se commendavit, ut administer haereticus, qui forte aderat, lacrimas cohibere nequiverit, eique complura pietatis officia praestare non dubitaverit.

Itaque difficile est dictu, quam acerbus eius obitus exstiterit, non modo sodalibus, sed etiam indigenis, qui eum uti amicum, quin potius uti patrem dilexerant, et perpetuo coluerant. Quamquam inter sodales provinciae lugdunensis, dein tolosanae, ac demum venetae totum fere vitae tempus versatus est, tamen provinciae taurinensi perpetuo est accensitus. Itaque eum praetermittere nefas putavimus. Exstat eius vitae elogium in litteris provinciae venetae sub annis MDCCCLXXXVIII-MDCCCXC. Aliud elogium asservatur in tabulario provinciae taurinensis. Ex his et ex aliquot sodalium notitiis hunc commentarium confecimus.

OPERA EDITA

1° *Remarks to the Honorable Mr Maine on the Marriage-Bill.* Calcutta, 1864, 8°.

2° *Report of the interviews between (Legislative) the Honorable H. L. Anderson, Member on the Legislative Council, and Rev. F. Gallo, S. I. on the amendment of Act XXV of 1864, atked for at the sittings of the Legislative Council in 1864-65 by the Roman Catholic Clergy and Laity. S. I. et a.* Calcutta, 1865, 8°, pp. 14.

3° *Suppetiae Evangelii praeconibus, qui Madurensem Missionem excolunt, peramanter oblatae ab eorum Sodali T. A. Gallo S. I. Romae MDCCCLXXII.* Romae et Taurini, penes eq. Petrum Marietti, typogr. Pontific., 8°, 4 vol.

Vol. I. *De actibus humanis — De conscientia — De fide — De cooperatione ad religionis pravae cultum — De infestatione daemonum — De duplici iurisdictione quae in Indicis Missionibus non ita pridem vigere coepit,* pp. 346.

Vol. II. *De superstitione, et disputantur quaestiones praecipuae de ritibus vulgo malabaricis nuncupatis — De ritu quo apud Indos connubium celebrari mos est — De festo, mox ut puellae viro maturae agnoscuntur — De curanda exteriori Christifidelium disciplina,* pp. 369.

Vol. III. *De Poenitentia* pp. 343.

Vol. IV. *De Matrimonio,* pp. 357.

4° Exstat eius epistola Cannanore conscripta (23 settembre 1879). Vide *Lettere edificanti della Provincia Veneta d. C. d. G.,* I^a Serie, p. 121-3.

NOTAE

(1) Hoc eruitur ex Necrologio Societatis Iesu Parisiis edito, anno 1897 typ. R. Leroy.

In *Bibliotheca (Scriptorum) S. I.* a Carolo Sommervogelio evulgata legimus, Gallum natum esse Molari in Dioecesi Aquensi.

(2) Locum obitus sui eum praenunciavisse, accepi ab ipsomet P. Sani, in Europam regresso.

ALBERTVS CETTA

XXII.

ALBERTVS CETTA

Iriae in Laumellina honesto loco est ortus anno a partu Virginis MDCCCXIV. Religiosae vitae tirocinium annos natus sexdecim est exorsus Romae ad Sancti Andreae in monte Quirinali, et persolvit Cherii in Subalpinis. Quum enim per id temporis provincia taurinensis a romana, auspice Carolo Felice Subalpinorum rege, a P. Aloisio Fortis Societatis nostrae praeposito generali seiuncta esset, Cetta inter sodales taurinenses est cooptatus. Ingenio, doctrina, et pietate plurimi est habitus. In re litteraria Isaïam Carminatium, in philosophica Iosephum Surynum, in theologica Firminum Costam audivit. In litteris satis, in gravioribus disciplinis magnopere profecit. Novariae, Ferrariae et Senogalliae physicam et mathesim diu docuit, et eximii praeceptoris sibi nomen effecit. Massae-Ducis in nostro collegio magisterium pietatis obivit, eodemque tempore divinas litteras sacrorum alumnis egregie est interpretatus. Post haec Taurini ad Sancti Patris Ignatii pias commentationes sacerdotibus tradendas se applicuit, et Bastiae in insula Corsica, dein Monoeci ad oram ligurem, tironibus suae provinciae magister pietatis sex amplius annos datus est. Subinde Pistorii in sacro ephebeo annum unum, et Viglevani annos septem alumnorum conscientiae pie sancteque est moderatus. Bulzaneti et Murtae apud Genuam, pias Virgines, Deo dicatas, ad pietatem excolendas suscepit, et sacerdotes statis exercitiis in sacro

recessu ad religionem aluit. Aetate iam inclinata, Collegio Monoecensi moderando praefuit, ac demum Genuae, in domo Exercitiorum, praeses nostrorum sodalium est constitutus.

Anno MDCCCXLVIII, cunctis sodalibus nostris in diversa abeuntibus, quum Pozzonium apud suos se recepisset, non otio indulsit, sed opus conscripsit de ratione studiorum; copiosa quidem eruditione, at elocutione nimis conquisita, atque minus perspicua. Senior, Genuae quum morabatur, opus aliud protulit de Diluvio universali, quo ostendere studuit, ingentem illam aquarum molem, quam montium cacumina supergressam sacrae nos litterae docent, eas tantummodo mundi regiones prorsus operuisse, quas tum homines incolerent. Id porro illa ipsa temporis periodo contigisse, quam rerum physicarum cultores glacialem appellant. Atque ita affirmare non dubitavit, quae de Diluvio in divinis libris enarrantur, iis neutiquam adversari, quae doctores Geologi accidisse putent. Hoc vero praestitit tanta eruditionis ubertate, et argumentorum pondere, ut quantum historiae sacrae, et rerum naturalium scientia valeret, luculenter probaverit et merito a viris doctis multa laude sit impertitus (1).

De eius animi virtutibus haec iuvat attingere. Vir magni consilii, perspectae probitatis, iustitiaeque tenax, quod aequius novit, id antiquius habuit. Religiosae disciplinae cultor assiduus fuit, atque ad Dei gloriam et animarum salutem procurandam sollertissime incubuit. Desidiae osor, et domitor cupiditatis, nunquam quieti inserviit, vel solamina captavit. Animi patiens, querelis abstinuit, praesertim in extremo morbo, cuius acerbitatem constantia superavit. Nam totius paene corporis paralysi correptus, ut vix manum, vel pedem attolleret, eam mira animi tranquillitate diutissime est perpessus. Moderatoribus dicto obsequens in exemplum, nihil, iis inconsultis, agebat; omnimoda munia sibi tradita promptus adibat, et pro viribus explebat. Pius, doctus, prudens; ad hoc urbanus, benignus, ac mansuetus, animi etiam demissione enituit. Quamquam enim erat quattuor votorum professus, et suae provinciae consultor annos plurimos fuerat, ac praeterea eiusdem provinciae procurationem in totius Ordinis conventu Faesulis gesserat, nunquam tamen se extulit, nec quemquam despectui habuit.

Laudi eidem ducitur, quod una cum Salvatore Magnasco, Genuensium Archiepiscopo, plurimis apud Deum fusis precibus, et litteris ultro citroque datis, Christophoro Bonavino, liguri, philosopho clarissimo, qui Ausonio Franchi praenomine et nomine sibi adscitis, a catholica veritate defecerat, maximo fuerit incitamento, quo ad sanitatem rediret, in Ecclesiae romanae sinum denuo se reciperet, et postmodum, re felicissime confecta, in prisca fide firmissime consisteret. Ad extremam senectam quum devenisset, Bonavinum, qui eum Genuae in nostra domo gravi morbo decumbentem, peregre, invisendi gratia, convenerat, humanissime excepit, et prae gaudio lacrimis temperare non potuit. Tum Bonavinus animo commotus, suas miscere, quod virum scilicet, quem patris loco haberet, in extremo vitae limine constitutum coram cerneret (2). Itaque, quum gaudium luctus excepisset, atque alter alteri flendo vale supremum dixisset, Cetta, non multo post tempore, extremis sacris expiatus, animam efflavit, aetatis anno septuagesimo septimo necdum expleto.

OPERA EDITA

1° *Dell'unità e libertà d'insegnamento in Italia, per Alberto Cetta.* Torino, Tipografia Chirio e Mina, 1849, 8°, pp. 464-VIV.

2° *Il Diluvio.* Torino, Fratelli Speirani, 1886, 8°, pp. 320.

3° Exstat eius latinum epigramma in opella, quae inscribitur : *Isaïae Carminatii S. I. Auditorum Cheriensium Carmina Sacra. Edidit Salvator Casagrandius ex eadem Societate.* Excudit Augustae Taurinorum Vincentius Bona, Regis Italiae Officinator Librarius, anno CIↃ IC CCC XCVIII (p. 17).

NOTAE

(1) Ephemerides, quibus nomen est *La Civiltà Cattolica* de hoc opere hanc sententiam ferunt: « Chiunque a questo problema piglia interesse, si farà a leggere di buon grado il *Diluvio* del CETTA. Vero è che esso non è libro da diletto e da passatempo; e a più d'un lettore la forma dello stile, un po' slegato e duro, e talvolta per troppa concisione oscuro, ne renderà men piano e gradito lo studio. Ma chi guardi alla sostanza, più che alla forma, vi troverà un tesoro di idee, di fatti, di ragguagli, di acuti raffronti, e sopratutto una forza di solidi raziocinii, non facile ad incontrarsi oggidì anche nei libri scientifici di cose naturali, ricchi di dottrina ed erudizione materiale, ma non di rado difettosi di buona logica e di sintesi ideale ». Serie XIII, volume V, pag. 69.

(2) Haec postrema excerpsimus ex ephemeridibus *La Civiltà Cattolica,* Serie XVI, Vol. V, p. 438. Cetera ex tabulario provinciae taurinensis deprompsimus. Complurium etiam rerum nos ipsi testes fuimus, siquidem multos annos cum eo commorati sumus.

IOSEPHVS BRVNENGO

XXIII.

IOSEPHVS BRVNENGO

Hic fuit praestantissimus, et doctrina magnopere claruit. Natus est Piveronii in Dioecesi eporediensi, anno christiano MDCCCXXI, et ingenium est sortitus ad omnes sapientiae partes accomodatum. Itaque a prima adolescentia inter aequales enituit. Augustae Vagiennorum, dein Taurini in nostro collegio, primis litteris et disciplinis est eruditus; atque adeo ceteris praestitit, ut primi subsellii discipulus continenter exstiterit. Paulo Beorchiae, utinensi, viro Societatis nostrae litteratissimo, cuius in hoc libello habes elogium, iucundissimus fuit; eiusque ope, quamquam annos quattuordecim minor natus, in eandem ipse Societatem, in quam ut cooptaretur enixis precibus postulaverat, ingenti gaudio est relatus.

Cherii in Subalpinis tirocinio religionis exacto, Isaïam Carminatium et Aloisium Tarditium rhetores praeceptores habuit; et subinde in collegio taurinensi ad SS. Martyrum rei philosophicae, physicae et mathematicae animum adiecit. Quo curriculo nondum expleto, litterulas Genuae in Collegio Albertino annum omnino unum docuit, et Taurinum regressus, philosophiae cursum confecit. Cuius sub exitum, in sacrario aedis Sanctorum Martyrum, conclavi amplissimo, frequentissima hominum doctissimorum corona adstante, reconditioris mathesis specimen praebuit, quo egregium ingenii periculum fecit; quapropter cunctis

plausibus exceptus est. Quibus editis, Aloisius Menabrea, vir in re mathematica cum paucis excellens, e scamno assurgens, publico eum elogio condecorare non dubitavit. Annis proxime insequentibus, Iriae, Novariae, dein Melani in Allobrogibus, ethicam, physicam, mathesim, historiam, quam naturalem appellant, sermonem italicum atque etiam germanicum egregie docuit.

Incidit interea magna illa calamitas, qua anno MDCCCXLVIII sodales nostri omnes penitus dissociati, vel solum vertere, vel domi latere sunt coacti. Brunengus ab urbe Melano eiectus, Taurinum una cum Ioanne Matthaeo Ciravegna et Laurentio Raggio itineris comitibus, altissimis nivibus, pedes, victum ferme emendicans, ubique tamen humaniter habitus, se recepit. Quem casum postea scripto enarravit. Tum fuere homines opum potentes et religioni maxime infensi, qui eximio adolescenti amplissimos honores et larga stipendia sint polliciti, si nuncium Societati Iesu remitteret. At sua ei religio praesidio fuit. Quam enim fidem Deo dederat, hanc integram praestitit. Itaque Italiae extemplo valedicens, in Galliam se contulit, et Vallibus Anicii sacerdotio inito, pelago se credidit, atque in eam Americae partem, quae pars ad septem triones vergit, traiecit. Quum Georgiopolim ad nostros sodales devenisset, sacrae theologiae studia est auspicatus; at brevi post tempore Vorcestriam missus est, ut philosophiam traderet. Sunt etiam qui scripserint eum linguae anglicae scientem, conciones inibi pro sacro suggestu ad populum habuisse (1).

Biennio in America persoluto, in Italiam est revocatus; et theologiae curriculum, quod in America vix arripuerat, Romae explevit. Sub exitum, divinarum scientiarum experimentum, quod Actum publicum appellamus, pro concione exhibuit, et praestantissimi doctoris theologi nomen est consecutus. Laetii demum in Gallia alterum pietatis tirocinium, ut nostri sunt mores, confecit, et Romam regressus, cum scriptoribus *Civilitatis Catholicae* consociatus est, paucisque post mensibus, ad sollemnem quattuor votorum professionem est promotus. Tum vero plane est compertum, quantum homo valeret, et quam merito inter scriptores relatus esset, quibus esse mediocribus minime liceat.

Enimvero acris ingenii et firmae memoriae supra quam cuique

credibile est, litteris latinis, graecis, hebraicis iuxta doctissimus, alios insuper quinque sermones probe tenebat, et commode pronunciabat. Disciplinis severioribus, tum humanis, tum divinis oppido eruditus, populorum historias praecipue noverat, et non modo eorum gesta, sed locorum, temporum et personarum adiuncta, rationes, nomina, notasque universas memoria complectebatur. Ad Ecclesiae romanae iura propugnanda, Summorum Pontificum civilem principatum vindicandum, catholicam fidem tuendam, et sacrorum librorum historiam, Assyriorum regum annalium monumentis recens defossis confirmandam, pluribus evulgatis operibus, omnimoda eruditione, et documentorum copia locupletibus, sex et triginta ipsos annos, totus incubuit. Haec porro adeo eleganti, perspicua, ac numerosa oratione, ad normam nimirum scriptorum, quos classicos inscribimus, exornavit, ut nihil supra.

Quoties cum viris catholico nomini infensis, vel studio partium abreptis, manus conseruit, toties victor discessit. Ipsum Gregorovium, ipsumque Caesarem Cantù, historicos eruditissimos, receptui canere coegit. Erat enim in eo quidam mentis intuitus, ac, si ita loqui fas est, quaedam animi divinatio, qua eventuum causas et effectus remotissimos inspiciebat, eorumque series omnigenas ita inter se nectebat, ut in unam coalescerent, perinde ac si ab uno eodemque principio, veluti fonte, universae manarent. Plurima indidem haud antea cognita coniiciebat; atque acri iudicio cuncta perpendens, et vera a falsis, certa ab incertis secernens, eam de singulis sententiam ferebat, cui sani homines non modo non adversarentur, verum etiam faverent. Exinde factum est, ut aevi sui praecipuus historiarum scriptor haberetur. Neque eos opinione deceptos putaverim, qui Brunengum singulari providentia huic nostrae tempestati condonatum praedicaverunt, ut quo amplius Apostolicae Sedis iura oppugnari essent coepta, eo magis, illius doctrina et ingenio, perspecta atque explorata haberentur.

Nullis pepercit laboribus, neque ullam valetudinis rationem habuit, quo muneri suo faceret satis. Etenim nova perpetuo opera moliebatur, ut uno vix absoluto, alterum aggrederetur. Ad hoc alia etiam munia obiit. Monoeci apud Ligures quum

degebat, Albertum Caroli III Monoecensium Principis filium, mathesim docuit; Genuae vero cum morabatur, conciones in templo Sancti Syri habuit diebus dominicis; idemque praestitit Taurini in sacello sodalitatis a Sancto Paulo Apostolo nuncupatae. His enim in urbibus aliquot annos constitit. Neque tamen Scriptoribus *Civilitatis Catholicae* operam suam praestare unquam destitit. Praeterea apud eos bibliothecae et tabularii praefecturam obiit.

Tum demum a scribendo abstinuit, quum scilicet in extremo, eoque acerbissimo morbo, quem tranquillo usque animo atque ore renidenti est perpessus, calamum e manu decidentem, denuo arripere, nedum ducere non potuit. A Leone XIII, Summo sacrorum Antistite, studiis historicis provehendis in Urbe consultor, et a Coetu Londiniensi Archeologiae biblicae excolendae, socius est renunciatus. Nihilo minus, quum tanti fieret ab omnibus, unus ipse se despexit; neque ab ullo unquam de se, vel de rebus suis verba facere est auditus. E vita cessit Romae septuagenario maior; nec ullus in christiana ac litteraria republica universa tam praeclari scriptoris desiderio modus fuit (2).

OPERA EDITA PRAECIPVA

Horum tituli ordine chronologico ab ephemeridibus, quibus nomen *La Civiltà Cattolica* ita efferuntur: Serie XIV, Vol. x, p. 620.

1° *Storia dell'assassinio di Pellegrino Rossi,* anno 1854.

2° *L'Autorità spiegata dagli Scolastici.*

3° *Un romanzo storico di genere nuovo,* 1855.

4° *La moderna Necromanzia,* 1856-1857.

5° *Intorno alle cause dei fenomeni mesmerici,* 1857.

6° *I Principati Danubiani,* 1857.

7° *Clemente V e Filippo il Bello,* 1859.

8° *Origini della sovranità temporale dei Papi,* 1ª ediz. 1862-63; 2ª ediz. 1864.

9° *Codex diplomaticus dominii temporalis S. Sedis* del THEINER, 1864.

10° *I primi Papi Re, e l'ultimo dei Re Longobardi,* 1ª ediz. 1862-63; 2ª ediz. 1864.

11° *Il Patriziato Romano di Carlo Magno,* 1866-67.

12° *Clemente V e i Templarii,* 1866.

13° *La notte di S. Bartolomeo,* 1866-67.

14° *Sul Nepotismo di Sisto IV,* 1868.

15° *L'Assemblea del Clero Gallicano nel 1862;* 1869.

16° *I Destini di Roma.* 1ª ediz. 1871-72; 2ª ediz. 1874-76.

17° *Storia dell'Impero Assiro-Caldeo in relazione con la Bibbia secondo le scoperte moderne,* 1878-80.

18° *L'Impero di Babilonia e di Ninive dalle origini fino alla conquista di Ciro, descritto secondo i monumenti cuneiformi comparati colla Bibbia,* 1885.

19° *La Cronologia Biblico-Assira, supplemento alla storia di Babilonia,* 1886.

20° *La Stela di Mesa,* 1885-86.

21° *Il Tesoro, la biblioteca e l'archivio de' Papi nel sec. XIV,* 1886.

22° *Il Nabucodonosor di Giuditta,* 1886-88.

Omnium praestantissima censentur quae posita sunt sub num. 8°, 11°, 16°, 17°, 18°, 19°.

His adnumeratis, memoratae Ephemerides haec subiiciunt: « Oltre a ciò scrisse moltissimi articoli di vario argomento, e numerose riviste. Gli articoli sono:

1° *Un saggio della presente letteratura polacca.*
2° *Un viaggio alle Antille.*
3° *Il Canale di Suez.*
4° *L'Agiografia antica e moderna.*
5° *L'Agiografia moderna e i Bollandisti.*
6° *Le Missioni cattoliche e i protestanti nell'India, dopo la rivolta.*
7° *Due convertiti americani.*
8° *Alcune riflessioni sopra il Nepotismo dei Papi.*
9° *Il Cardinale Fra Pietro Riario.*
10° *Iulia Augusta Taurinorum.*
11° *Il B. Eugenio III.*
12° *Risposta ad un anonimo di Camerino sopra la tirannide di Giulio Cesare Varano.*
13° *Un monumento al P. Malagrida.*
14° *Le Università del Medio Evo.*
15° *Il Nuovo Testamento greco del* Codex Vaticanus *in fototipia.*
16° *Le Università Medioevali e i Papi.*
17° *La Canonizzazione del B. Pietro di Arbues e l'*Allgemeine Zeitung.

Delle Riviste eccone alcune, le quali hanno per oggetto le opere seguenti:

1° *Pensieri sulla Storia d'Italia di Cesare Balbo.*
2° *Una Storia d'Italia dello Sforzosi.*
3° *Il Comune di Vercelli nel Medio Evo;* studio di Vittorio Mandelli.
4° *Storia dei Conti e Duchi d'Urbino,* dell'Ugolini.
5° *Marco Antonio Colonna alla battaglia di Lepanto* del P. Alberto Guglielmotti.
6° *Miscellanea di Storia Italiana,* edita per cura della Regia Deputazione di Storia Patria,
7° *Un documento greco spettante alla coronazione del primo Czar della Russia.*
8° *Ordinarium Ecclesiae Parmensis...* Edidit, declaravit A. Barbieri.
9° *Una storia della Città di Roma* del Reumont.
10° *Una storia di Sisto V* dell'Hubner.
11° *La scienza della Storia* di N. Marselli.
12° *La storia di Gregorio IX e de' suoi tempi* del prof. D. Pietro Balan.
13° Surius *Vitae Sanctorum.*
14° *La guerra dei pirati e la Marina pontificia* del Guglielmotti.
15° *Storia secreta de' Conclavi* di Oscar Pio.

16° *Storia di Roma Medioevale* del Gregorovius.

17° *La Biblioteca della Sede Apostolica; i Catalogi dei Manoscritti; i Gabinetti di scienze naturali, arti, archeologia ecc..... annessi alla Biblioteca Vaticana,* per G. B. De Rossi.

18° *Aonio Paleario,* per Luigi De Marais.

19° *Leonis X Pont. Maximi Regesta.*

20° *La Société de l'Orient latin e le sue pubblicazioni.*

21° *La Cronologia rivendicata* per D. Atto Paganelli.

22° *La Storia di Gregorio VII* per Antonio Trama.

23° *La Risposta di D. Atto Paganelli alle Osservazioni della* Civiltà Cattolica.

24° *I Sommi Pontefici della Campania Romana* per Monsignor Terrinoni.

25° *Papes et Czars* par P. Pierling.

26° *Il Diluvio* di Alberto Cetta.

27° *L'Alsace et l'Eglise au temps du Pape S. Léon* par Pier-Paul Brucker.

28° *Giordano Bruno e i suoi tempi* del P. L. Previti.

29° *Storia di Cesena* del Zazzeri.

30° *Storia Universale* di Cesare Cantù ».

Earundem ephemeridum Scriptores haec addunt: « Delle osservazioni intorno a questa Storia (N. 30°) scrisse otto articoli; l'ultimo, che lasciò incompiuto, fu incominciato il 23 Aprile 1891, e continuato fino al 4 Maggio; il buon Padre riceveva il 6 l'estrema unzione, ed il giorno 11 di mattina passava al riposo delle sue fatiche ».

Harum omnium recognitionum principes habentur illae, quae recensentur sub numeris 16°, 30°.

Carolus Sommervogelius in *Bibliotheca (Scriptorum) S. I.* argumenta recognitionum Brunengi nullo modo indicat. Hac de causa tabellam operum huius scriptoris, ab ephemeridibus *Civilitatis Catholicae* evulgatam, ceteris praetulimus. Caetera omnia sane multa et magni momenti, quae Brunengus in iisdem ephemeridibus edidit, indicantur, adiecta sigla *Bg.* in libello cui titulus *Indice generale della* Civiltà Cattolica *(Aprile 1850-Dicembre 1903) compilato da* Giuseppe Del Chiaro, *Segretario della Direzione.* Roma, Ufficio della *Civiltà Cattolica,* anno 1904.

Brunengus insuper operam suam contulit illustrandis, augendis, vel supplendis alienis operibus. Haec inter exstant:

1° *Il Papato, l'Impero e il Regno d'Italia. Memoria di Francesco Levirani esaminata e confutata.* Roma, coi tipi della *Civiltà Cattolica,* 1861.

Auctor praecipuus huius operis est P. Iosephus Oreglia a Sancto Stephano. Pars historica Brunengo tribuitur.

2° R. P. Iacobi Tirini S. I. *Antuerpiani in universam S. Scriptu-*

ram Commentarius... notationes praeterea quamplurimae, tum P. Francisci Zachariae Soc. Iesu, qui... tum P. Iosephi Brunengo eiusdem Societ., qui ex recentioribus monumentis illud (opus) illustravit. Taurini, Marietti, 1882-4, 8°, 5 vol., pp. VIII-808, 1070, 1118, 972, 612.

3° Opem contulit libris conscribendis, qui a quibusdam *Civilitatis Catholicae* scriptoribus evulgati sunt adversus libellos, quos Carolus Curcius edidit postquam a Societate Iesu defecit.

Exstat demum Brunengi epigramma latinum in opusculo, cui titulus *Isaïae Carminatii S. I. Auditorum Cheriensium Carmina Sacra. Edidit Salvator Casagrandius ex eadem Societate.* Excudit Augustae Taurinorum Vincentius Bona, Regis Italiae Officinator Librarius anno CIↃ IↃCCC XCVIII.

A. Narratio, quam de expulsione nostrorum sodalium a Collegio Melanensi in Allobrogibus, et de suo itinere Augustam Taurinorum versus, Brunengus manu sua exaravit, asservatur in tabulario provinciae taurinensis S. I.

NOTAE

(1) Ephemerides *Civilitatis Catholicae* haec habent: « Nel 1848 si recò negli Stati Uniti, ove esercitò il ministero sacerdotale, e attese con frutto alla predicazione, possedendo assai bene la lingua inglese ». Serie XIV, vol. X, p. 619.

(2) Ex ephemeridibus *La Civiltà Cattolica* loco supra citato, ex tabulario provinciae taurinensis S. I. et privatis notitiis, ea deprompsimus, quae de Brunengo narravimus. Ceterum illum coram novimus, siquidem cum eo Romae, Genuae et Monoeci diu commorati sumus.

IOSEPHVS BAYMA

XXIV.

IOSEPHVS BAYMA

Cyriaci in Subalpinis est ortus parentibus honestissimis anno reparatae salutis MDCCCXVI, et a natura ita comparatus, ut quidquid legeret, vel audiret, prompte arriperet, firme teneret, et apte exprimeret (1). In collegio taurinensi, cui nomen a Carmelo, ad omnem religionem et litterarum humanitatem a prima adolescentia est informatus; quin etiam mechanicam, graphicam, et musicam cum laude didicit. Nostram Societatem est amplexus aetatis anno quinto decimo vix expleto. Qua ratione id contigerit, iuvat docere.

Litterarum studiis absolutis, quum iam in eo esset, ut severioribus disciplinis in Athenaeo Taurinensi operam poneret, in nostrorum collegium est regressus, ut P. Carolum Grossium, studiorum praefectum, de fratris sui in litteris progressu percontaretur. Quum itaque simul in maximo ambulacro ultro citroque incedentes, inter se sermocinarentur, accidit ut repente sermo haereret, et ambo obmutescerent. Tum Bayma, pudore correptus, silentium aegre ferens, ut novam colloquio materiam suppeditaret: « Pater mi, per iocum inquit, scias amabo, me Iesuitam velle fieri ». Grossius id serio prolatum existimans, fidem ei habuit, atque admodum gratulatus: « Planus, inquit, est aditus. Praepositus Provincialis apud nos moratur. Tuum est eum extemplo convenire, ut voti compos evadas ». Tunc ado-

lescens, ne viro gravissimo verba dedisse videretur, ad Praepositum Provincialem est ingressus, atque ab eo postulavit, ut in nostram Societatem adscriberetur. Hic, re audita, nullum suspicioni locum praebens: « Ad tuos, inquit, parentes te conferto, eorumque bona cum venia ad me revertito, ut, tum animi, tum ingenii tui, ex more, periculum sumam, antequam inter nostros tirones coopteris »; diemque condixit.

Tum vero Bayma, hinc digressus, multa secum diu longumque revolvit, qua tandem ope ab ancipiti casu sese expediret. Postremo, divina procul dubio impulsus gratia, fidem ex animo praestare statuit, quam praeter voluntatem pollicitus erat. Quam ob rem, a parentibus pietate spectatissimis facultate impetrata, die stata, in collegium est regressus, atque ad Praepositum Provincialem intromissus est. Inibi, magno animi stupore, Secundum Francum est nactus, consobrinum et condiscipulum suum, singulari virtute adolescentem, qui eodem consilio ac ipse illuc venerat. Itaque alter alterius cognito proposito, validiore animo ad pericula subeunda se compararunt. Quum primis quaesitis probe admodum respondissent, et quantum in litteris, ac praesertim in carminibus latinis nullo librorum adiumento condendis, valerent, egregie admodum Praeposito Provinciali in supremo specimine probavissent, eo ipso die, ab eodem Cherium sunt missi, ut ambo tirocinium religionis in nostra Societate auspicarentur. Haec quidem omnia mihimet, nondum eandem Societatem ingresso, ipse Bayma, viginti quinque post annis, enarravit; ac postremo « Infinitas, inquit, Deo Optimo Maximo gratias hac de causa ago; quandoquidem postmodum civiles tempestates vel asperrimae intercesserunt, a quibus fortasse incolumis neutiquam evasissem, nisi me iam in religionis portum recepissem ».

In tirocinio pietatis Bayma cunctis se probavit, ut in exemplum eluxerit. Biennio confecto, rhetoricam, Isaïa Carminatio doctore, annum unum recoluit, atque inter aequales, magni ingenii adolescentes, facile princeps habitus est. Quum itaque sine cortice nare posset, Iriam est missus; qua in urbe litteras, quibus ab humanitate fit nomen, biennium docuit. Postmodum philosophos in collegio taurinensi SS. Martyrum audivit; et

mathesim tanta sedulitate prae ceteris disciplinis coluit, ut primas perpetuo tulerit, et potius doctor, quam discipulus sit visus. Hinc Genuam venit, ut in Collegio Albertino litteras politiores traderet, et anno postero Novariam profectus, mathesim in Collegio Gallarinio quadriennium, ac rhetoricam annum unum professus est. Qua in arte tum praesertim magni ab omnibus est habitus, quum excellentium civium novariensium res praeclare gestas pulcris carminibus, et lyricis, et dramaticis, est prosequutus, ut eximii vatis famam sibi comparaverit.

Per id etiam tempus, ni rerum ordo me fallit, magnum poema italicum de Christophori Columbi itinere navali confecit, cuius haec est enunciatio:

Canto le navi ibere e il Capitano,
Che osò varcar l'atlantica Anfitrite,
E all'estremo confin dell' Oceano
Molti regni scoprì, genti infinite,
E al supremo Pastor del Vaticano
Le fe' devote, e le sottrasse a Dite (2).
. . . . . .

Hoc poemate, quod temporum iniuria, vel potius hominum incuria deperiit, Torquati Tassi numeros est aemulatus. Id licet videre in hac versuum ogdoade, qua rupem describit:

Sorge divisa dalle umane genti,
A terror de' mortali, orrida rupe.
Spuma di sotto il mar, fischiano i venti
Fra le caverne tenebrose e cupe;
Eternamente da lontan vi senti
Latrar le cagne, ed ulular le lupe;
E cento volte le spelonche sorde
Rimandarsi le voci e il suon discorde (3).

Novum etiam sermonem excogitasse fertur, qui communis omnium esset, et quo potissimum homines mercuriales uterentur, ad negotia ubique terrarum facilius expedienda. Hunc vero ita tenebat ac pronunciabat, ut omnium admirationem excitaret.

Plurimum praeterea insudavit, ut rationem inveniret, qua

aëreonautae tutum per medias caeli vias iter arriperent. Sunt qui perhibent Baymam in hoc tam arduo labore eo usque processisse, ut problema omnium difficillimum se solvisse putaverit. Qua de re hoc etiam relatum accepi. Quum Bayma longo post tempore in Angliam venisset, et problematis solvendi viam viris rerum physicarum peritissimis patefecisset, hi, ratione perpensa atque admodum probata, pleni optimae spei, grandem ei pecuniam obtulerunt, ut quae iura in novam excogitationem sua essent, in eos ipse transferret; quin etiam grandiorem sunt polliciti, si res, facto periculo, felicem exitum haberet. Verum, initis experimentis, impedimenta ex inopinato sunt exorta, quae spem omnem interceperunt.

Novariae dum erat, plurimos in arte musica progressus effecit. Enimvero integram divini Sacrificii liturgiam modis musicis exornavit, et publice exhibuit. Quam lucubrationem viri musicae artis peritissimi magnis laudibus sunt prosequuti. Hos inter exstitit Xaverius Mercadante neapolitanus, ubique gentium fama notissimus, qui ea tempestate civibus novariensibus et Collegii Gallarinii alumnis musicam tradebat. Hic Baymae ingenium vehementer est admiratus, et magno in honore habuit.

Nec minus animi fortitudine, quam ingenio et arte, Bayma Novariae enituit. Quum enim Caietanus Anceschius, eiusdem collegii administer, noctu a sicario, ob auri sacram famem, in eius cubiculum clam ingresso, multis vulneribus confossus, ac peremptus esset, Bayma, summo mane, de nefario facinore primus omnium admonitus, extemplo nil sibi timens e lecto prosiluit, et nodoso fuste instructus, quem unicum est nactus, e cubiculo se proripuit, ut scelestissimum hominem aggrederetur. Putabat enim eum adhuc in collegio latitare, quod nimirum fores exeuntibus nondum paterent. Quem cum non invenisset, propere rem omnem ad magistratus detulit. Ita factum est, ut brevi post hora impius furcifer comprehensus, et crimen confessus, quum per aetatem morte multari non posset, nostris moderatoribus frustra pro eo a rege Carolo Alberto veniam deprecantibus, ad remos perpetuo damnaretur.

Haec quidem omnia, et alia plura memoratu dignissima, quae, ab exeunte anno MDCCCXXXIX ad annum occiduum MDCCCXLII,

in Collegio Gallarinio evenere, Bayma in litteris annuis eius collegii latino eloquio expressit, adeo eleganti, perspicuo, et ad normam priscorum auctorum deducto, ut narratio veluti exemplar haberi queat historiae rerum in nostris provinciis gestarum, singulis annis conscribendae.

Anno MDCCCXLIV ad exitum vergente, theologiae studium in collegio taurinensi Sanctorum Martyrum est aggressus. In hoc totus incubuit; atque ita in omnigenis scientiarum divinarum disciplinis longe processit, ut eius ingenii acumen, et doctrinae amplitudinem tum condiscipuli, tum praeceptores magnopere sint admirati. Neque tamen ab artibus colendis, in quibus plurimum se amabat, temperavit, quin saltem horas animo communibus alloquiis recreando ac relaxando praefinitas, earum tentaminibus tribueret. Itaque hoc tempore organum musicum, tubulis crassiore charta compactis, elaborandum suscepit, a quo sonos omnes ab imo ad summum per gradus eliceret.

Quod sequitur praestantioris est generis, et feliciorem exitum invenit. Quum annum sacrae theologiae tertium contereret, forte inter eius contubernales incidit quaestio, num videlicet auctoris scribendi ratio, qui librum *De Imitatione Christi* elucubravit, ad unguem exprimi possit. Id porro compluribus inficiantibus, Bayma, ut horum sententiam impugnaret, opellam conscribere statuit, cui postea nomen fecit: *De Studio Religiosae Perfectionis*. Itaque, quibus horae articulis iuvenes nostri post meridiem, ne studium noceat, quieti paulisper indulgent, manum operi admovit, ut nullum sibi labi diem permitteret, quin lineam duceret. Ita factum est, ut sub anni finem, rem plane conficeret, et opellam sodalibus legendam offerret. Qui omnes, eius ingenium ac pietatem plurimum mirati, ad unum manus dedere.

Enimvero qui hoc Baymae opusculum oculis usurparunt, una voce fateri non dubitaverunt, se nullum alium libellum legisse, qui ad libellum, cui titulus *de Imitatione Christi,* tam proxime accederet. Id porro est mirandum, quod Bayma, qui necdum ex adolescentibus excessisset, neque sacerdos inauguratus esset, integrum religiosae vitae cursum iam tum animo exploratum haberet, et plane nosset quot, quibusque miseriis humana natura sit obnoxia, utpote quae proprio pondere semper ad ima feratur,

quidque tandem, divino munere impulsa, praestare sit potis. Haec enim omnia Bayma sapienter admodum protulit in medium. Id ipsum viri ingenio, doctrina, ac pietate spectati, privatim vel publice, ultro sunt professi. Hos inter fuit P. Felix Sopranis, provinciae romanae praepositus. Hic nimirum, qua tempestate Bayma Romam venit, quum opellam perlegisset, suasor illi fuit, ut eam publici iuris faceret. Pari modo P. Ioannes Roothaan, Societatis nostrae praepositus generalis, non minus sanctitate et doctrina, quam auctoritate clarus, opella oculis perlustrata atque ad trutinam revocata, summis auctorem laudibus cumulavit; eique plurimum est gratulatus, quod tum stili simplicitate, tum sententiarum gravitate, scriptorem ad amussim retulisset, quem sibi imitandum proposuisset.

Itaque Bayma, qui, antequam in Gallia inter tertianos pium tirocinium expleret, extremam opellae manum imposuerat, illam Romae evulgandam curavit. Quo vero scriptoris, quem stilo expresserat, modestiam imitaretur, suum nomen operi minime inscripsit. Ita accidit, ut hoc iterum alibi ederetur, et nomen P. Ioannis Roothaan, inscitia editoris, praeferret. Quin etiam exstiterunt, qui idem opus cuipiam monacho, vel Gersenii, vel Thomae a Kempis aequali tribuerint. Haec res ad Baymae laudem magnum momentum habuit. Itaque, vixdum libellus in publicum apud exteras nationes prodiit, magnis plausibus exceptus est, ut brevi tempore in complures sermones translatus sit, prouti inferius suo loco docebimus.

Tametsi Bayma libellum conscripserat, ut contubernalium quaestionem dirimeret, tamen in eo exarando Dei laudem et animarum salutem praecipue ob oculos habuit. Id porro est assequutus tanta felicitate, ut non modo aliorum, sed etiam suam ipsius expectationem superaverit. Etenim, quum olim, aetate iam devexa, in gravissimum oculorum morbum incidisset, ut neque legendo, neque scribendo iam esset idoneus, ac praeterea acerbissimis corporis doloribus et animi angoribus afflictaretur, quemdam e suis sodalibus enixe rogavit, ut eiusdem libelli caput aliquod sibi legere ne detrectaret. Qua re facile impetrata, ad extremum « Equidem, inquit, futurum non credideram, ut illa eadem senior in me ipse experirer, quae iunior hoc in libello

pro veritate descripsi. Atqui tum consulto hoc praestiti, ut iis prospicerem, quibus similia pati contingeret ». Sed de hac re satis. Illuc regredior, unde sum digressus.

Bayma sacerdotio auctus anno MDCCCXLVII decedente, Cherium est missus, ut nostris iunioribus rhetoricam traderet, theologiae curriculum privatus expleret, seque ad supremum studiorum specimen compararet. Inter eius discipulos tum exstitit Franciscus Campinius, qui postea in re grammatica clarum sibi nomen effecit. Sub initium anni insequentis, quum in Italia ac praesertim in Subalpinis, ob civiles turbas, omnia pessum irent, et nostri sodales a collegiis expulsi, vel in latebris degerent, vel fuga salutem sibi parare cogerentur, Anicium in Galliam se contulit, ut theologiae studium conficeret. Quo confecto, alterum pietatis tirocinium, ut nostra fert consuetudo, in provinciae Lugdunensis statione, quae a Lalovesco non longe aberat, auspicatus est.

Inter experimenta, quae tum temporis de eius pietate nostri moderatores ceperunt, hoc fuit. Algerium in Africam est missus, ut apud Gallorum copias, quae eam urbem et regionem finitimam dudum in suam redegerant potestatem, sacerdotis munera obiret. Itaque, cum illuc devenisset, curionis maximi militaris titulo est insignitus. Haud facile narraverim quanta in hoc officio alacritate ac studio nisus sit, ut militibus, vel in nosocomiis iacentibus, vel in praesidiis consistentibus, ad religionem excolendam praesto esset. Cunctis pro sua pietate non modo militibus, sed etiam ducibus se probavit, eorumque animos sibi penitus conciliavit. Ita enim se gerebat, ut communis infimis par summis videretur. Praeter religionem ac doctrinam singularem, magna dignitas et gratia, tum oris, tum sermonis inerat in eo; quam ob rem ad unum omnibus iucundissimus exstitit. Erat insuper statura procera, imperatoriaque forma, ut eum mirarentur ac suspicerent universi. Nam apud milites, quo quisque est procerior, eo praestantior habetur. Aliis etiam, praesertim sacris administris, officia omnimoda praestare non renuebat. Itaque sacram aedem urbanam aptis coloribus ab summo ad imum exornavit, ut curionis desiderio faceret satis. In Galliam regressus, physicam Anicii nostris iuvenibus annum plenum e-

gregie explanavit; ibique ad quattuor votorum professionem est promotus.

Rebus iterum quietis, in Italiam est accitus, et Romae Angelo Secchio astris dimetiendis est consociatus. Hoc in munere nobilissimo totum fortasse vitae tempus, quod supererat, contrivisset, si noctes, somni, cuius erat maxime impatiens, expertes traducere potuisset. Itaque brevi post tempore ab officio destitit. Id nempe sodales plurimum indoluere; propterea quod horum opinione futurum esset, ut Bayma, si per valetudinem liceret, nullis caeli mensoribus concederet. Ibidem P. Henrico Vasco, qui eadem tempestate ad conscribendum opus de ratione studiorum reformanda animum intendebat, operam suam locavit. Eidem maximo fuit subsidio; utpote qui et ingenio et doctrina, tum in litteris, tum in scientiis sacris, aut profanis, ipsi Vasco plurimum praestabat. Quaenam huius operis partes Baymae calamo sint tribuendae, satis non constat. Hic enim, pro animi demissione, licet a sodalibus rogatus, hoc palam facere nulli hominum voluit. Vertente anno MDCCCLII, cum eodem Vasco in provinciam venetam se contulit, si forte quae animo conceperant et scripto retulerant, etiam opera perficere possent. Sed enim plurimae difficultates sunt interpositae, ut omnis aditus negotio interclusus sit. Quocirca uterque in provinciam romanam pedem retulerunt. Tum Bayma ab hac spe deiectus, animum non despondit: quin etiam Vascum iterum iterumque est hortatus, ne, quod in rebus paene desperatis etiam viris magni animi interdum accidere videamus, se prorsus desereret; sed proposito in posterum dilato, nova tempora, vel potius novos homines praestolaretur. Qua de re fusius in Vasci elogio loquemur.

Interim Bayma sacri ephebei Brictinoriensis rector est constitutus. Inibi praeterea philosophiam docuit, et studiis praefuit. Divinas litteras in templo principe interpretatus est; officium iudicis extra synodum obiit, atque in ephemeridibus, quibus nomen *Il vero amico,* multa in religionis et litterarum bonum evulgasse fertur. Annuos etiam ephebei sumptus curavit, aedes aevitate labentes novis operibus restituit, et contignatione superaddita, altius eduxit. Denique, quod est pluris, ephebi, eo auspice,

tum religione et doctrina, tum moribus ac numero magnopere floruerunt. Hinc factum est, ut ephebeum Brictinoriense ephebeis provinciae Aemilianae in exemplum proponeretur.

In aliis rebus compluribus, quamvis minoris momenti, Bayma ingenio in eodem ephebeo eluxit. Tabulas geographicas peramplas designavit, et maximi ambulacri parietibus affixit, ita calamo ductas, ut formis excusae viderentur. Instrumentum musicum lamellis crystallinis, adiecto pectine, aedificavit, quod aures mira dulcedine perfundebat. Praeterea homunculos ligneolos, alienis nervis desuper movendos, atque apparatum ludis scenicis edendis, egregio artificio elaboravit; simulque comoedias quamplures, ad alumnorum mores, statis feriis, risu castigandos, festive admodum conscripsit, quae adhuc inibi, alibique sunt usui. His porro ludis, non modo sacrorum alumni, sed cives primores, tum cleri, tum populi, frequentissimi intererant; quandoquidem Bayma haec omnia regebat, ut nihil descriptius ac venustius fieri posset, ipse autem etiam in parvo magnus haberetur.

Neque vero unquam apertum non fuit, quin Bayma, tametsi ad tot munia mentem intendebat, cuiusquemodi officii diligentissimus esset, et quamcumque provinciam iniret, eandem recte admodum administraret. Quam ob rem, maximam sui famam tota Aemilia orientali excitavit. Itaque publicae ephemerides, non solum eius nomen efferebant, sed quidquid novi in bonum ephebei praestabat, quae itinera arripiebat, per quas urbes transibat, in quibus consistebat, quo demum die ad suos rediturus erat, enunciare consueverant. Postremo non conticendum, omnium alumnorum studia eum sibi ita conciliavisse, ut plures hac de causa in nostram Societatem ingressi sint, alii vero, multis post annis, in longam viam se dederint, ipsum Oceanum transnare parati, ut eum inviserent, eiusque consuetudine denuo fruerentur.

Qua tempestate Bayma huic collegio praeerat, anno scilicet MDCCCLVI, Massam-Ducis ad comitia suae provinciae se contulit. Porro ab Alexandro Ponza, praeposito provinciali, interrogatus est, num tirones provinciae ad pietatem informandos libenter susciperet. Id equidem quum ab ipso Bayma rescivissem, et de eadem re praepositum provincialem percontatus essem, hic respondere non dubitavit, Baymam talem esse, cui

non modo tironum cura, sed provinciae summa tuto posset demandari. Quorum tametsi neutrum contigit, tamen utrumque referre placuit; quod hinc nimirum luculenter apparet, quantam Bayma, qui quadragesimum aetatis annum vix attigisset, tum pietatis, tum sapientiae opinionem apud moderatores iam tum iure ac merito adeptus esset.

Rectoris officio sexennium perfunctus, Brictinoriò est profectus anno MDCCCLVIII, plurimo civium et alumnorum moerore. Videbant enim difficile admodum futurum, ut moderatorem alium, perinde atque eum, impigrum, laboriosum, omnigenarum scientiarum et artium, et collegii regendi peritum nanciscerentur. Bayma subinde, alpibus superatis, Galliamque praetervectus, in Angliam traiecit, et in Collegio Saxosilvano philosophiam, quam rationalem appellant, undecim ferme annos explanavit. Quam explanationem, paucis post annis, tribus voluminibus conclusam, posteritati consignavit. Neque hoc contentus, opus aliud praestantissimum protulit de mechanica, quam molecularem nuncupamus.

Acerrimi sane ingenii specimen his operibus praebuit, praesertim hoc postremo, quod ab Anglis doctoribus maximi est habitum. Hi nempe sunt fassi, plurimas ad mechanicam accessiones a Bayma momento esse factas, quas ceteri huius scientiae periti vix diutina annorum serie facere possent; atque eum hoc opere longam aetatem antevertisse. Nihilo tamen secius quaestiones admodum subtiles in eo inesse, ut perpaucos reperias, qui illas penitus assequantur. Quocirca opus vix in maximis athenaeis britannicis, nimirum Oxonii, Edenburgi et Cantabrigii, prae manibus habetur. Excusum est in officina libraria athenaei cantabrigiensis; cuius insuper curatores, egregio honoris testimonio, Baymae operam suam libenti animo obtulerunt, si quando integrum cursum mathesis, cuius partem iam conscripsisset, in vulgus ederet.

Multa praeterea in Anglia typis lithographicis imprimenda tradidit in usum discipulorum suorum, quae tamen, neque eo tempore, neque in posterum publici iuris fecit. In his reperitur illa Baymae sententia de divinae Eucharistiae mysterio, qua nempe docet, naturam panis et vini in hoc Sacramento a Christi corpore su

stentari; horum vero substantiam in nihilum redigi, quandoquidem in substantiam corporis Christi penitus convertatur. Itaque P. Ioannes Baptista Franzelinus, Societatis nostrae theologus, et postea in collegium Patrum purpuratorum adlectus, in opere, cui titulus *Tractatus de SS. Eucharistiae Sacramento et Sacrificio,* Baymae sententiam, tacito tamen auctoris nomine, omnigeno argumentorum pondere impugnavit. Bayma alio scripto opinionem suam adversus Franzelinum tueri est conatus. Tum etiam datis litteris ad Petrum Beckx, Societatis nostrae praepositum generalem, et ad nonnullos sodales, ostendit, Franzelinum sententiam suam plane assequutum non esse.

Cum vero idem generalis praepositus Baymae opinionem, sacro romano conventui, cui nomen ab Indice, instar quaesiti exposuisset, hic illam a quoquam nulla prorsus ratione sustineri posse respondit. Quum itaque Roma locuta esset, causa finem habuit. Equidem haec etiam de Bayma attingenda putavi, ne quaestionis adeo gravis inscius viderer, neve quis vitio mihi verteret, quod ea tantummodo in medium proferrem, quae Baymae laudibus efferendis sint idonea, eaque praetermitterem, quae easdem videantur elevare.

Anno MDCCCLXIX, Bayma in Americam a suis moderatoribus est missus, et rector collegii urbis S. Francisci, totius Californiae principis, est constitutus. Eius discessum ab Anglia aegre admodum tulerunt, non solum sodales et auditores, qui eum uti patrem colebant, atque unice amabant, sed etiam alieni, ac praecipue viri doctissimi, quorum plurimi amicitiam cum eo inierant, eumque in abstrusioribus omnigenae scientiae quaestionibus, perinde ac si discipuli essent, saepissime sententiam rogabant. Antequam in tam longinquam regionem sese transduceret, in Italiam venit, cum ipsis moderatoribus de novi regiminis negotiis coram acturus. Tres hinc iuniores sodales, optimae spei adolescentes, in Californiam deduxit; quorum unus, Iosephus Sasia subalpinus, grandia munia postmodum in iis regionibus obiit, et in Italiam revocatus, totius provinciae taurinensis gubernacula sex ferme annos tenuit.

Bayma in novum collegium ab omnibus peramanter exceptus est; quandoquidem ingenii, doctrinae et virtutis fama eum

antecesserat. Rectoris officium, animorum omnium consensione, auspicatus, impiger, industrius, assiduus fuit, nec ulli parsit labori, quo cunctis, ut sui esset muneris, prospiceret. Ludos litterarios in commodiorem formam redegit; bibliothecam exquisitis libris locupletavit; musea, officinas, et conclavia scientiarum machinis, aliisque instrumentis ad recentes normas elaboratis, sensim instruxit. His tamen non contentus, munus docendi non deseruit; sed, quamquam alienis curis plurimum distinebatur, tamen sublimiorem mathesim ephebis explicavit. Praeterea sacrorum antistitum, et aliorum procerum rogatu, ad religionem, scientiam, et humanitatem propagandam, ephemeridibus catholicis urbis Sancti Francisci et aliarum urbium, ingenii operam exhibere non detrectavit. Vir sane prae cunctis dilaudandus, qui tum sibi nunquam deesse putaret, quum aliis perpetuo adesset.

Triennio circumvoluto, collegii regimen posuit. Mathesim sublimiorem, uti solitus fuerat, atque ethicam ibidem septem annos docuit. Totius etiam *Missionis* Californiae moderatoris admonitor est renunciatus, itemque consultor. Morbo gravissimo interceptus, in collegium Sanctae Clarae concessit, ut vires reciperet. Quibus receptis, quamquam consenuerat, vacatione aetatis minime est usus, sed disciplinas mathematicas reconditiores undecim solidos annos inibi ephebis explanavit, studiis praefuit, nostrorum sodalium specimina scholastica excepit, librorum edendorum censor fuit, et *casuum conscientiae* praefecturam obiit. Quamvis tot muneribus intentus esset, tamen satis temporis est nactus, quod compluribus operibus scribendis, quin etiam evulgandis, impenderet. Universae mathesis cursum conscripsit, qui paene integer, eo vivo, est editus. Opellam etiam exaravit de arte musica, cuius normas et respectus ad ordinem religiosum, moralem et historicum egregie est persecutus. Nam huius artis non modo usum habebat (quippe gravem vocis spiritum, quo utebatur, prorsum versum impellens, commode caneret, et musico instrumento, videlicet organo, commodius luderet), sed theoreticen apprime callebat, et musicas elucubrationes bene multas de suo penu deprompsit.

Eum praeterea architectum, machinatorem, pictoremque Americani suspexerunt. Etenim harum disciplinarum complura spe-

cimina praebuit, praesertim mechanicae; siquidem machinas ingeniose excogitavit, vel ab aliis adinventas perfecit. Neque minus memoria, qua pollebat firmissima, sodalibus suis et alienigenis, quibus California maxime abundat, praesidio fuit. Nam linguarum, non omnium quidem, uti hyperbolice scriptum invenio, sed complurium peritus erat; easque facile, proprie et eleganter, praesertim anglicam, efferebat, ut Anglis litteratis, non in Italia, sed ipsa in Anglia natus altusque videretur. Latino sermone, quo in ludo philosophico, vel theologico utebatur, Tullii venustatem et copiam referebat, et scriptorum, quos classicos nuncupamus, sententias genuinas integras recitabat, perinde ac eos totos memoriae commendavisset.

Hinc est effectum, ut scientiarum et artium quaestionibus gravissimis enodandis impar a nullo putaretur atque uti oraculum, tum a suis, tum ab alienis consuleretur. Qua de re hoc a Iosepho Sasia, de quo supra mentionem feci, auribus accepi. Vir quidam, mathesis scientissimus, qui in problemate mathematico vel difficillimo solvendo operam lusisset, et clarissimos huius disciplinae magistros frustra consuluisset, ad ultimum, quamquam a spe paene deiectus erat, amicorum consilio, Baymam adiit, qui, subductis rationibus, propositam quaestionem e vestigio penitus explanavit. Quod cum fere ex machina videretur effectum, homo tanto stupore est perculsus, ut vix sibi fidem faceret. Itaque, re vulgata, Bayma in maius tota America celebrari est coeptus.

Quum ad tardam senectutem devenisset, consuetos labores non intermisit; quin etiam, paucis ante mensibus quam vita excederet, ut Archiepiscopi dioecesis S. Francisci desiderio obsequeretur, sacrorum alumnos, qui brevi ad sacros Ordines essent promovendi, theologiam docuit. Denique in morbum est implicitus; quo acrius in dies erumpente, plenus optimae spei, Deo Creatori suo, quem perpetuo spectaverat et unice dilexerat, spiritum concredidit, anno christiano MDCCCXCII, in urbe Sancta Clara, et in sepulcreto urbano est inhumatus.

Vir procul dubio fuit capitali ingenio a natura donatus, et doctrina omnigena ab arte institutus; et quamquam, quod humanum est, in re theologica et philosophica non leviter offendere

est visus, in compluribus tamen disciplinis praestans fuit; in mathesi vero praestantissimus. Neque minus, quod silentio praetermittere nefas foret, pietate valuit. In religiosis virtutibus excolendis in exemplum eluxit. Nam quamvis ingenio et doctrina ceteris anteiret, nunquam tamen se extulit, et moderatoribus dicto audiens fuit ut qui maxime. Vocationis suae et Societatis Iesu, in quam, veluti in matrem, summo studio ferebatur, amantissimus exstitit. Religiosae disciplinae retinens usque ad vitae exitum, officii diligens, et laboris patiens, nunquam ad docendum imparatus accessit, et in vinea Domini Iesu sollers operarius est habitus. Instar pueri, simplicitate et innocentia morum enituit. Praeterea urbanus, comis, affabilis, nulli unquam aditum negavit, ut non sibi, sed aliis natus videretur. Itaque, quae in libello de studio religiosae perfectionis expressit, in semetipso repraesentavit.

Ad animi virtutes, corporis dotes accedebant, quo videlicet utraeque gratiores venirent. Statura, uti docuimus, excelsa, forma speciosissima, colore aquilo, fronte spatiosa, oculis vegetis ardentibusque, membris inter se apte compositis, lacertosus, erectus, voce et incessu gravis, magis militibus ducendis, quam adolescentibus regendis effictus videbatur. Tum vero maiorem sui stuporem intuentibus iniiciebat, quum longa itinera aggressurus, humilem religionis vestem cum alieno et speciosiore amictu commutabat. Tunc enim ab iis etiam, qui eo admodum familiariter usi erant, aegre admodum agnoscebatur. Enimvero, quum olim Brictinorio cum famulo profectus, Forum Livii rheda invectus devenisset, nostrorum sodalium collegium est ingressus, ut curionis militaris insignia indueret, quibus ab Africa in Europam maxime conspiciendus redierat. Nimirum futurum sperabat, ut sub tali specie in ditione Subalpina, a qua expulsus fuerat, et qua erat transiturus, a nullo dignosceretur. Itaque quum brevi post hora ad eundem famulum aurigam, qui eum ad collegii ianuam ex condicto praestolabatur, iterum venisset, iamque in eo esset, ut denuo rhedam conscenderet, hic extemplo ei imperavit, ut retro pedem ferret. Se enim ab hero vetitum esse, alium quempiam excipere. Quem Bayma cum percontatus esset, de quo tandem hero sermonem haberet, is, voce audita, heroque agnito, tanto

rubore est suffusus, ut viginti quinque post annis, quum hoc idem mihi enarraret, rursum erubescere videretur.

Ex his omnibus facile intelligitur, quibus demum de causis omne genus hominum tantopere eo delectarentur, nec quisquam esset, quin hominem cernere, audire, cum eo loqui et esse, eiusque amicitia potiri maxime averet; ab eo autem distrahi admodum gravate ferret, ut bene multi in lacrimas irrumperent. Quae omnia neutiquam accidissent, nisi eum natura, tot muneribus congestis, a turba secernere quodammodo studuisset.

De Bayma vita functo ephemerides Americanae elogium evulgarunt perhonorificum. Eum enim appellare non dubitaverunt *Urbis Sanctae Clarae Genium*, et rerum mathematicarum gigantem, aliaque plura de eodem sunt prosecutae; quae, tametsi per hyperbolem conscripta videntur, tamen fidem faciunt, quanti reapse Bayma apud illos fieret, a quibus supra modum praedicaretur. Eius etiam sodales, tam praeclari capitis iacturam prae ceteris passi, postquam moestissimi eidem parentaverunt, eius elogium litteris consignandum curarunt. Hoc conscriptum est a P. Gleeson, qui stilo non elato et poëtico, sed modestiore et historico, uti par erat, Baymam quam aptissime collaudavit. Cuius sub exitum auctor quam maximas Divinae Providentiae gratias agendas ait, non ideo quod, prouti in memoratis ephemeridibus licet legere, Bayma exuvias suas Americanis custodiendas reliquerit, sed quia tot ingenii et pietatis monumenta, tum suis, tum alienis testamento legaverit. Huius nempe, et ceterorum provinciae taurinensis sodalium virtutibus, qui anno MDCCCXLVIII e ditione Subalpinorum expulsi, in Californiam transmigrarunt, magnam partem acceptum esse referendum, quod Californiae collegia adeo floruerint, ut horum aedificia instar oppidi producta sint, eorumque alumni tota America plurimi fiant, principesque ponantur.

Attamen fatemur in Baymae elogio a Gleeson conscripto, nonnulla desiderari ab eodem Bayma in Italia egregie patrata, quorum notitia, ob locorum distantiam, vel temporis diuturnitatem, ad extremam Californiam fortasse nunquam est didita. Huic porro incommodo nos obviam ire studuimus, utpote qui, non modo complures Baymae contubernales et discipulos, sed

ipsum Baymam coram novimus, et de rebus multis percontati sumus. Ad hoc, in tabulario provinciae taurinensis complura invenimus a Bayma de se ipso, vel ab aliis de eo conscripta. Itaque quos fines nobis in superioribus commentariis contexendis proposuimus, in hoc concinnando excessimus. Movebat praeterea in ipsum Baymam gratus animi sensus, quo nempe vicem aliquam, quamvis exiguam, rependere impellebamur. Nam, eo moderatore, dum adhuc inter ephebos accensebamur, usi sumus; eodemque ductore, in domum tirocinii Societatis Iesu pedem intulimus. Sodales denique quamplurimos nacti sumus, qui, ut hoc idem praestaremus, a nobis enixis precibus expostularunt; quibus obsistere religioni duximus. Ceterum Bayma is minime fuit, cuius memoria, ne oblivione intercidat, ope nostra, aut aliena indigeat; utpote quae se ipsa tueatur, nec tamdiu hominis desiderio ullus pudor sit futurus, quamdiu, qui eum praesentem suspexerunt, in vivis manebunt.

OPERA EDITA ET INEDITA

1° *De studio religiosae perfectionis excitando, augendo et conservando. Libri tres.* Romae MDCCCLI. Typis Io. Bapt. Marini, et B. Morini, 32°, pp. 256.

Hoc opus editum est Parisiis, Bruxellis, et praefixo nomine Iohannis Roothaan, etiam Monasterii semel et iterum. Anglice, germanice et italice est translatum, gallice praeterea a P. Petro Olivaint, viro sanctissimo, et ab eodem semel et iterum editum Parisiis anno MDCCCLIII, MDCCCLVI, et tertium ab aliis anno MDCCCLXXII, hoc titulo: *Du zèle de la perfection religieuse, des moyens de l'exciter, de l'accroitre, et de le conserver, par le P. Ioseph Bayma, traduit du latin par le P. Pierre Olivaint de la Compagnie de Jésus, massacré en haine de la Religion le 26 Mai 1871, etc...* Septies haec versio est edita.

Idem opus anno MCM anglice in America Septentrionali est iterum evulgatum.

2° *Realis Philosophiae Institutionum, Auctore P. Bayma S. I. in Collegio Saxosylvano Phil. Prof. Volumen I, II et III.* Londinii excudebant Taylor et Francis typographi Universitatis, A. D. MDCCCLXI, MDCCCLXIII, 8°, 3 vol. pp. X-330, VIII-407, et VIII-316.

3° *The elements of Molecular Mechanics by Ioseph Bayma S. I. professor of Philosophy. Stonyhurst College. London and Cambridge.* Macmillan and Co. 1865, 8°, pp. XVIII-266, 3 tab. — ad calcem: Cambridge; Printed at the University press.

4° *Fundamental principles of Molecular Physics by Professor I. Bayma S. I., of Stonyhurst College.* Fron the Philosophical Magazine for March 1869. S. l. 8°, pp. 7.

Hoc opusculo Bayma respondet W. A. Northono, qui scripserat contra Baymae opus, positum sub N. 3°.

5° *Elements of analytic Geometry.* San Francisco, typ. Waldteufel, 1887.

6° *Differential and Integral Calculus, by Rev. Ioseph Bayma S. I. Professor of Mathematics in Santa Clara College, California.* San Francisco, A. Waldteufel, 1888, 12°, pp. 250.

7° *Elements of Infinitesimal Calculus, by Ioseph Bayma S. I. Professor of Mathematics in Santa Clara College. Santa Clara, California.* San Francisco, A. Waldteufel, 1889, 8°, pp. 283.

8° *A Discussion with an Infidel. A Replis to Dr. L. Büchner's* Force and Matter *by Rev. I. Bayma S. I.,* London and Leamington, Art and Book Company, 1893 (?), 8°.

9° In ephemeridibus, quae inscribuntur *Letters and Notices de Roehampton* T. VII, p. 58-60, et T. VIII, p. 234-5, exstant Baymae epistolae sub annis 1869, 1872.

10° Dum Romae morabatur (annis 1850-51-52) multa scripsit in opere ab Henrico Vasco evulgato, cui titulus *Il* Ratio Studiorum *adattato ai tempi nostri.*

11° Complura insuper edidit in commentariis, quibus est nomen *American Catholic Quarterly Review* post annum MDCCCLXX.

Haec opera edita, undecim numero, recensentur a Sommervogelio in *Bibliotheca (Scriptorum) Societatis Iesu.* Videsis quae in Baymae elogio de his notavimus, praesertim de *Studio Religiosae Perfectionis,* de *Mechanica moleculari,* et de Henrici Vasci opere in Rationem studiorum.

Sunt et alia opera a Bayma evulgata, quorum notitiam Sommervogelius non habuit. Haec videlicet:

12° Opella *de Mundi fine,* quam anno MDCCCLVII, MDCCCLVIII, in ephebeo Brictinoriensi conscripsit, ediditque, prouti accepi a sodalibus, qui eo anno Brictinorii degebant.

13° Aliqua etiam evulgasse fertur in ephemeridibus Brictinoriensibus, quibus nomen *Il Vero Amico.* Quamquam vero sunt qui ea tempestate Brictinorii morabantur, neque tamen hoc exploratum habuere.

14° Integrum opus *De Mathematica,* quod in partes distributum, excusum est in urbe Sancto Francisco in California ab Auctore, postrema parte excepta, quae agit de Mechanica. Haec, eo vita functo, ibidem prodiit.

15° *Cycloidal Functions.* Hoc opus editum est post Baymae obitum ab Instituto Smithsoniano in urbe principe Americae foederatae.

16° Exstat demum Baymae carmen phaleucium in opella, cui est titulus: *Isaïae Carminatii S. I. Auditorum Cheriensium Carmina Sacra.* Edidit Salvator Casagrandius ex eadem Societate. Excudit Augustae Taurinorum Vincentius Bona, Regis Italiae officinator librarius, anno CIↃ IↃ CCC XCVIII.

Quamplura etiam supersunt a Bayma exarata, quae nunquam sunt edita. Praecipua sunt haec:

a) Lezioni di Sacra Scrittura intorno alle Profezie di Daniele ed all'Apocalisse, recitate negli anni 1852-8 nella Cattedrale di Bertinoro.

b) Novariensis Collegii et Convictus Historia, annos complectens 1839-40-41.

Magni omnino est momenti, et venuste admodum conscripta. Asservatur in tabulario provinciae taurinensis Societatis Iesu. Consule sis quae de ea in Baymae elogio conscripsimus.

c) In eodem tabulario asservantur eius carmina italica in laudem clarorum virorum novariensium. Confecta sunt Novariae anno MDCCCXLIV. Non sunt tamen autographa, sed transcripta ab eius sodalibus in collegio novariensi ante annum MDCCCXLVIII. En tibi eorum argumenta:

1. *Disfatta di Napo della Torre,* azione drammatica.
2. *Alleanza co' Torriani;* inno.
3. *Manfredi Re di Puglia;* ottonari.
4. *Disfatta dei Torriani;* decasillabi.
5. *Brunasio in Milano;* ode pindarica.
6. *Campano astronomo;* senari.

Inter chartas P. Henrici Vasci haec alia, Baymae manu exarata, sunt reperta, quae modo in tabulario memorato custodiuntur:

d) 1. Voto di parecchi Padri intorno alle parti prima e seconda dell'Opera del P. Vasco Il Ratio studiorum.

e) 2. Quadro sinottico dell'intero corso di studii letterari... Avvertenze preliminari... Osservazioni relative alla principale modificazione introdotta nel metodo del Ratio studiorum *per ciò che riguarda lo studio del Greco e del Latino.*

f) 3. Sunt etiam alia, quae modum respiciunt, quo nova studiorum ratio, a Vasco proposita, ad exitum tuto perduci queat.

Haec tamen omnia a Bayma sunt conscripta, non suo, sed Vasci nomine.

g) 4. Questione sopra la maggiore, o minore convenienza dell'andare i giovani (convittori) a casa loro nel tempo delle vacanze autunnali.

h) 5. Pari modo asservantur aliquot Baymae epistolae ad Henricum Vascum datae, ex quibus facile intelligitur, qua tandem de causa, quae ambo ad instauranda studia animo conceperant et scripto retulerant, in nostris collegiis perficere neutiquam potuere.

i) Inibi exstant aliae epistolae, doctae admodum et eruditae, quibus Bayma fuse recenset et magnopere dilaudat opus a P. Ioanne Maria Sanna-Solaro S. I. in Gallia evulgatum, quod inscribitur *Recherches sur les causes et les lois des mouvements de l'Atmosphère...* Nonnulla ad trutinam sapientissime revocat, et quaesitis respondet, ab eodem Patre propositis. Aliqua praeterea in medium profert contra opiniones, quas P. Angelus Secchi de rebus philosophicis ferebat.

l) In Ephebeo Brictinoriensi asservantur plures Comoediae, italico sermone a Bayma conscriptae.

m) In maximo ambulacro eiusdem ephebei tabulae geographicae praegrandes inveniuntur, parietibus affixae, a Bayma calamo ductae, uti in eius elogio iam narravimus.

n) Compluribus in domibus nostrae Societatis alia ab eo dictata, et formis lithographicis impressa reperiuntur, in quibus de scientiis, quas in Anglia tradebat, est sermo.

Sunt postremo alia nonnulla a Bayma conscripta, quae deperdita dolemus; de quibus, tametsi in eius elogio attigimus, iuvat tamen rursus te hoc loco monere, ut quae ab eo, vel edita, vel tantummodo exarata novimus, ictu oculi perspicias.

o) Cristoforo Colombo, Poema epico in (12?) canti, in ottava rima.

Anno MDCCCLXXXVIII, ab ipso Bayma per litteras rogatus, ut huius poematis exemplar autographum, quod amiserat, diligenter inquirerem, nil intentatum reliqui, quo eius desiderio facerem satis. At frustra laboravi.

p) Grammatica della lingua universale.

q) Del modo di guidare con sicurezza i globi aerostatici.

r) Trattato dell'arte musica. (?)

s) Musica per messa.

Horum operum hoc quidem est argumentum, an vero titulorum verba omnino sint eadem, affirmare non ausim.

NOTAE

(1) Non in urbe Cherio, (italice Chieri) uti legitur in *Bibliotheca (Scriptorum) Societatis Iesu*, sed in oppido Cyriaco, (italice Ciriè) est natus. Fortasse nominum similitudo scriptoris iudicium fefellit.

(2) Haec carmina, praesertim postrema, paullo aliter ab aliis efferuntur.

(3) Hanc ogdoaden ipse Bayma ab America ad me misit anno MDCCCXC.

SEBASTIANVS SANGVINETI

XXV.

SEBASTIANVS SANGVINETI

Praestantissimi magistri elogium gratus discipulus exordior. Hic enim philosophiam me docuit. Vitae limen attigit Genuae, nobilissima in urbe, anno christiano MDCCCXXIX. A parentibus, iure veluti hereditario, pietatem accepit (1), et in Collegio Albertino a nostris sodalibus ad omnem litterarum humanitatem eductus, inter aequales perpetuo primas tulit.

Honores humanos, quo commodius caelestes sibi pararet, pro nihilo pendens, annos septemdecim minor natus, Cherium in urbem contendit, ut in nostram Societatem reciperetur. At, paucis post diebus, ob valetudinem male firmam, ad suos redire est coactus. Nihilo tamen secius animum non despondit, et anno postero, qui annus fuit MDCCCXLVII, Calarim in Sardiniam se contulit; ibique voto potitus, prima religiosae vitae stipendia inter nostros tirones mereri coepit. Quum paucis post mensibus universa Italorum res publica funditus eversum iri videretur, atque homines flagitiosissimi religiosas familias, ac potissimum Societatem Iesu, quam odio capitali prosequebantur, de medio tollere conarentur, magnus eum timor incessit, ne, propterea quod nullo adhuc religionis vinculo obstringeretur, ad suos denuo adigeretur se recipere. Interim egregius adolescens e Sardinia expulsus, gravia inter discrimina, in continentes terras traiecit, et apud sodales perfugium quaesivit. Porro Genuae,

quam in urbem Sanguinetius se receperat, factiosorum turba, brevi post tempore, nostros omnes, impetu facto, illinc discedere, et in exteras nationes fuga sibi salutem parare coëgit. Itaque nostri moderatores, ut adolescentis desiderio obsequerentur, neve praeclarae de eo conceptae spes momento frustrarentur, Tolosam eum in Galliam miserunt, ubi initum pietatis tirocinium absolveret.

Anno MDCCCL, rebus in integrum restitutis, in Italiam remeare iussus, Romae in Athenaeo Gregoriano ad philosophiam se contulit ea sedulitate et felicitate, ut omnium expectationem superaverit. Nam ingenium sortitus acre, experrectum atque ad omnigenam sapientiam perdiscendam aeque accommodatum, philosophus et mathematicus peritissimus evasit. Subinde Brictinorii in sacro ephebeo logicam, metaphysicam, ethicam, physicam et mathesim magna cum laude explanavit. Item Massae-Ducis in nostro collegio, physicam et mathesim postea tradidit. Anno MDCCCLVII, Romam regressus, ad sacram theologiam animum appulit, doctoribus usus Carolo Passaglia et Raphaële Cercià; quorum praecipue ductu theologus, idemque iuris consultus optimae notae est effectus. Studiorum cursum emensus, alterum pietatis tirocinium ad S. Andream in Carinthia exegit. Hinc Vallibus Anicii in Gallia, et Monoeci in Liguria, per vices, scita philosophorum nostris iuvenibus tradidit. In exponendo subtilis, idemque perspicuus, in refellendo promptus et vehemens erat, nihilque ei difficile solvendum proponebatur, quin praesentissimis responsionibus penitus enodaret. In dicendo autem omnigenam latini sermonis elegantiam usurpabat, qua Tullii venustatem prope referebat. Quocirca auditores, ut quisque ingenio maxime pollebat, ita plurimum eo delectabantur.

At sodalibus taurinensibus tanto praeceptore diu frui non licuit. Nam anno MDCCCLXII Romam est accitus, ubi eius ingenium, et multiplex tum scientiarum, tum artium cognitio pleniore in luce versarentur. Erat enim rhetor, orator, philosophus, physicus, mathematicus, theologus, utriusque iuris consultus, historicus, divinorum librorum interpres, et complurium linguarum peritus; quandoquidem non solum linguam italicam et latinam, sed etiam graecam, hebraicam, gallicam, germanicam et anglicam probe callebat. Itaque

primum in Collegio Pio-latino-americano studiorum praefecturam obiit. Dein, quattuor sollemnibus religiosae professionis votis nuncupatis, historiae ecclesiasticae, et iuris canonici in Collegio Romano lector est constitutus. Tum vero maximum ad eius gloriam incrementum accessit, quum inter Patres adlectus est, quibus titulus: *Consultores Commissionis directricis de Iure proponendi in conciliis oecumenicis;* itemque in Concilio Vaticano universali Summi Pontificis Theologus est dictus. Enimvero, in illo luculentissimo conventu, eius opera magni omnino est habita. Qua de causa Eugenius Cecconius, Florentinorum archiepiscopus, in historia, quam de eodem Concilio contexuit vulgavitque, maximo eum elogio est prosecutus.

Post haec Roehampton in Angliam venit, ibique annum unum sacram theologiam docuit. Hinc Augustam Taurinorum quum venisset, Henrico Vasco, Societatis nostrae sodali, operam suam in conscribendis ephemeridibus, quibus nomen inditum *L'emporio popolare,* exhibere non renuit. Ibidem concionatoris officio est functus, pias Sancti Parentis Ignatii commentationes Clero tradidit, sodalitatem a S. Paulo Apostolo fidei catholicae provehendae, et matronarum coetum, a B. V. Perdolenti nuncupatum, moderatoris titulo, statis sermonibus, ad omnem pietatem excoluit. Triennio circumacto, Genuam se contulit et in templo Sancti Syri annuas conciones habuit. Etiam Romae, Casali in Monteferrato et Albintemelii, sacri oratoris munus obiit et praeclarum sibi hac in arte nomen ubique comparavit. Etenim, non fucato eloquentiae artificio, sed doctrinae copia, sententiarum ordine ac robore, auditorum studia magnopere commovit. Quorum unus, studiorum litterariorum praeses, tametsi de nostris sodalibus parum liberaliter sentiebat, tamen palam fateri non dubitavit, sacrae eloquentiae decus ac nomen a Sanguinetio in pristinum statum restitutum esse.

Anno MDCCCLXXIX, quod complures Romae maximo tanti viri desiderio tenerentur, iterum hanc in urbem est arcessitus, ut in Athenaeo Gregoriano ius canonicum interpretaretur. Subinde a Leone XIII, summo sacrorum Antistite, inter Pontificiae Academiae doctores decuriales, historiae et iuri tradendis, est accensitus. Ad hoc in sacras congregationes romanas, quae a

Sancto Officio, a conciliis provincialibus dignoscendis, a studiis, vel ab Ecclesiae negotiis pertractandis, sibi nomen adsciscunt, consultoris titulo est cooptatus. Nam magni omnino ab omnibus eius sententia fiebat. Enimvero, cum olim Roma profectus, Genuam venisset, extemplo Romam magnis itineribus est regressus, quo videlicet a Pontifice Maximo revocatus fuerat, ut de abstrusiore iuris canonici suborta quaestione sententiam diceret.

Neque solum his muneribus obeundis, sed operibus conscribendis maximo Ecclesiae Catholicae, Societati Iesu, sibique exstitit ornamento. Nam libris editis Romanae Sedis iura, et eiusdem Societatis legitimas rationes, contra recentiorum errores acerrime propugnavit. Alia multa in lucem protulisset, ni adversa perpetuo valetudine usus esset, qua semel et iterum in praesentissimum vitae discrimen est adductus. Anno MDCCCXCII, generalibus Societatis Iesu comitiis interfuit, quae Loiolae in Hispania habita sunt, ut quam iuris utriusque scientiam apprime tenebat, eam, quum usus adesset, in communem utilitatem conferret. Ibi in gravem morbum incidit, et Genuam, dein Romam cum revertisset, inter mortales esse desiit, anno christiano MDCCCXCIII.

Vir fuit non modo ingenio singulari, sed pietate spectata. Societatem Iesu plus oculis amavit, et si quid carius est oculis. Eidem hac de causa, licet morbis gravissimis ab adolescentia tentatus, continenter adhaesit. Suis sodalibus aliisque, ut suae erat opis, nunquam defuit, et urbanitate non minus quam doctrina et ingenio, omne genus hominibus carus fuit (2).

OPERA EDITA

1° *L'Apostolato della preghiera... 1865. Opera scritta in francese dal P. Enrico Ramière D. C. D. G. tradotta ora la prima volta in italiano e diligentemente riveduta da un Padre della medesima Compagnia.* Modena, Tip. dell'Imm. Concezione, 1865, 16°, pp. 441.

Sommervogelius in *Bibliotheca (Script.) Soc. Iesu* affirmat P. Sanguinetium et P. Mencaccium opus Ramierii italica civitate donavisse.

2° *De Sede romana B. Petri Principis Apostolorum, Commentarius historicus criticus; auctore Sebastiano Sanguineti e S. I. in Collegio Romano Historiae Eccl. professore.* Romae, ex officina libraria Mensae Apostolicae, MDCCCLXVII, 8°, pp. VIII-216.

3° *Die 3 Septembris anno 1868. Votum R. P. Sanguineti S. I., Consultoris Commissionis directricis de iure proponendi in conciliis oecumenicis, t. VII, col. 1077-87, operis, cuius titulus* Acta et decreta Sacrorum Conciliorum recentiorum. — Friburgii Brisgoviae, MDCCCLXX.

4° *Discorso in onore del B. Oddino Barotti, recitato nella Chiesa Cattedrale di Fossano, il dì della sua Festa, da Sebastiano Sanguineti D. C. D. G.* Mondovì per G. Bianco, Tip. Vesc. 1872, 8°, pp. 20.

5° *I Girondini della Chiesa.* Bologna, Tip. Felsina, 1876, 18°, pp. 64.

6° *La Compagnia di Gesù e la sua legale esistenza nella Chiesa. Risposta agli errori di G. L. Challait nel libro* Pio VII e i Gesuiti *per Sebastiano Sanguineti della Compagnia di Gesù, professore delle istituzioni di Diritto ecclesiastico nella Pontificia Università Gregoriana.* Roma; Tipografia di Roma, del Cav. Alessandro Befani, 1882, 8°, pp. 279-CLXXIV.

Opus gallice vestivit P. I. Noury S. I. Parisiis, 1884.

7° *Iuris ecclesiastici privati Institutiones ad decretalium enarrationem ordinatae, auctore Sebastiano Sanguineti e Societate Iesu in Pontificia Universitate Gregoriana iuris ecclesiastici professore.* Romae ex Typographia Polyglotta S. C. de Propaganda Fide, MDCCCLXXXIV, 8°, pp. VII-550.

8° *Ricordo del terzo anno secolare (1584-1884) da che la Congrega-*

zione prima-primaria sotto il titolo della SS. Annunziata fu canonicamente eretta, e per autorità apostolica costituita capo e madre di tutte le Congregazioni mariane dell'Universo. Roma, Tipografia della Pace, di F. Cuggiani, 1884, 12°, pp. 61.

9° *Conferenze, prediche, discorsi sacri del P. Sebastiano Sanguineti d. C. d. G. professore di Diritto Ecclesiastico nella Pontificia Academia di Conferenze Storico-Giuridiche, etc. etc...* Roma, Tipografia Befani, 1887, 8°, pp. VIII-501.

10° Edidit praeterea varias dissertationes in ephemeridibus, quae inscribuntur *Studi e Documenti di Storia e di Diritto, Anno IX-XI.* Roma, Tipografia Vaticana, 1888-91, 4°. Harum una haec est: *Nuove ricerche intorno la natura e la vera nozione della giurisdizione ecclesiastica...* Gennaio-Giugno 1891.

In his ephemeridibus elogium invenies P. Sanguinetii, sub mensibus Aprili et Iunio, anno 1893, p. 239-41.

11° Aliqua etiam edidit in ephemeridibus taurinensibus, quibus nomen *L'emporio popolare* sub annis 1872-74.

12° Formis lithographicis excudendas tradidit anno MDCCCLX-LXI Vallibus Anicii in Gallia theses philosophicas, in quibus acute, erudite, et copiose disserit de spatio, de loco et de motu.

In tabulario provinciae taurinensis S. I. asservatur eius epistola, Tolosa conscripta, et ad P. Ioannem Baptistam Centurionum data, qua rationem universam explicat exilii sui et sodalium ex insula Sardinia.

NOTAE

(1) Mater Sebastiani Sanguinetii filia fuit patruo Aloisii Solarii S. I. viri religiosissimi, cuius elogium habes inferius.

(2) Eius elogium conscripsere complures ephemerides, ac praecipue genuenses, quibus titulus *La Settimana Religiosa*, (anno 1893, N. 5, Febbraio). Ex his postremis multa deprompsimus.

ALOISIVS CERVTTI

XXVI.

ALOISIVS CERVTTI

Altodunum (1), non ignobile Taurinorum oppidulum, patriam habuit, anno christiano MDCCCXVIII. Praestantis ingenii adolescens, atque ad honestiorum litterarum cultum praecipue accommodatus, Augustae Taurinorum, in collegio, cui nomen a Carmelo, optimis praeceptoribus est usus, inter quos fuere Antonius Angelinius et Iacobus Catolfius. Ea tempestate, tanta Societatis nostrae ineundae cupiditate flagravit, ut annos septemdecim minor natus, Cherium in domum Antonianam properaverit, ubi complures ex eius condiscipulis, eiusdem voti compotes, eum peramanter exceperunt. Iactis religiosae perfectionis fundamentis, litteras, quae ab humanitate nomen inveniunt, duce Isaïa Carminatio bergomate, magni nominis praeceptore, biennium diligentissime recoluit, ut inter aequales maxime enituerit. Catulli cupidissimus fuit, eumque iam tum ad unguem expressit. Attamen huius poetae elegantissimi nitorem referre, minime vero duritiem sectari, perpetuo studuit. In quo adeo profecit, ut nulli de contubernalibus concesserit.

Subinde Taurini et Genuae rem grammaticam docuit; et Taurinum regressus, philosophos audivit. Postmodum Genuam secundo est missus, ut litteras politiores traderet: quo in munere quum ceteris longe praeire visus esset, a P. Antonio Brescianio praeposito provinciali, viro litteratissimo, Massam-Ducis decedere

est iussus, ut in collegio, quod Franciscus IV, Mutinensium Dux, nostris sodalibus recens a solo excitaverat, rhetoricam profiteretur. Neque silentio est praetereundum, eundem Brescianium litteras paullo ante ad Aloisium Fornaciarium dedisse, quibus rhetorem novensilem, uti artis bene dicendi scientissimum, et in penitissimis litteraturae latinae, graecae et italicae rationibus pulcre admodum versatum, summis laudibus efferebat (2).

Itaque Ceruttius munus adgressus, expectationi, quam de se concitaverat, egregie respondit. Nam optima studia invexit, eaque aptis utique praeceptis atque exemplis, ex veterum praescripto, roboravit. Francisci IV, Mariae Beatricis Atestinae, et excellentium civium Massensium egregia facinora, venustissimis inscriptionibus, et carminibus italicis et latinis, in publicis quae exhibuit experimentis litterariis, mirifice est prosecutus (3). Quam ob rem tantam nominis famam adeptus est, ut nihil eius urbis civibus litteratis praeclarius accidere posset, quam si ab eo probarentur.

Post haec Taurini in Collegio Sanctorum Martyrum theologicis disciplinis operam dare coepit. Porro in ea incidit tempora turbulentissima, quibus homines iniquissimi, res divinas pessum dantes et humanas, Societatis nostrae alumnos italos ad unum omnes e nostris domibus exturbarunt. Tum exstitere qui praeclarum iuvenem, magnis propositis praemiis, ab eadem Societate abstrahere sunt conati. At perperam. Quae enim eum mater ad omnem pietatem et doctrinam aluerat, huic fidem, quam pollicitus erat, perpetuo praestitit. Itaque ipsa in urbe Taurino, Subalpinorum principe, constitit, et sacerdotio propere ac silentio initiatus, prouti in elogio P. Francisci Pellici demonstravimus, nobilissimi et doctissimi Comitis Aemiliani Avogadri Della-Motta, apud quem clanculum diverterat, adolescentes filios litteris biennium instituit. Anno MDCCCL, Lavallium in Galliam contendit, ibique intermissa theologiae studia revocavit. Sub idem tempus elogium conscripsit Efisii Trois, contubernalis sui, natione Sardi, angelicis moribus adolescentis, qui properato e vivis excesserat. Studiis theologicis positis, Laetii tertium pii tirocinii annum exegit.

Rebus civilibus in Italia qua demum cumque ratione compositis, Romam continuo est accitus, et quattuor sollemnibus

religiosae professionis votis nuncupatis, inter scriptores commentariorum, quibus nomen *La Civiltà Cattolica,* merito est adlectus. Quo in munere, libris dignoscendis et chronicis redigendis operam dedit egregiam. Nonnullas insuper dissertationes protulit, et rerum eventus singulares descripsit, quos inter narratio historica magnis plausibus excepta est, cui titulum fecit *Il Figlio delle lacrime.*

At quinquennio exacto, valetudine minus firma est impeditus, quominus scribendo ulterius progrederetur. Post haec Collegio Germanico-Hungarico, administri titulo, ad annos quinque, dein sacro ephebeo Anagninio, rectoris auctoritate, pari temporis lapsu, est moderatus. Sub exitum anni MDCCCLXVII, in suam provinciam accersitus, Curiae, in insula Corsica, nostris sodalibus biennium praefuit; et postea Monoeci ad oram ligurem, Ioanni Matthaeo Ciravegnae, praeposito provinciali, socius obtigit, atque una Collegii Monoecensis, quod idem praepositus statuendum curaverat, scholarum praefecturam auspicatus est. Hanc egregie admodum ad quinquennium obiit, ut eidem collegio, decori et emolumento in exemplum exstiterit. Enimvero summa ope est enisus, ut praeceptores priscam in litteris tradendis rationem tuerentur, ne, quam novelli litterati homines iam tum invehere coeperant, haec in nimiam illius collegii consuetudinem veniret. Principum Monoecensium res praeclare gestas conscripsit, easque actionibus dramaticis, magna pompa atque apparatu, in scenam produxit. Multas insuper inscriptiones latinas, germano sapore aspersas, dictavit, et palam exhibuit; quarum plures in vulgus typis sunt editae.

Senecta ineunte, Bastiae, in insula Corsica, nostrae stationis gubernacula quinquennium tenuit; quo circumacto, iterum Monoecum devenit, et domus, quae Schola Apostolica appellatur, habenas tenuit. Exinde Cherium se contulit, et domus Antonianae, complures annos, sumptus curavit. Consultor praeterea provinciae diu exstitit. Taurini demum in Collegio, cui *Istituto Sociale* nomen est factum, nostris sodalibus magister pietatis est datus. Neque tamen, his vertentibus annis, litteras politiores, in quibus colendis plurimum se amabat, missas fecit. Nam, ubi res postularet, vel etiam, uti aiebat, stili exercendi, vel potius animi

relaxandi causa, complures inscriptiones elegantissimas latine concinnavit. Cherium reversus, ac paullo post paralysi correptus, vitam cum morte commutavit, aetatis anno septuagesimo sexto nondum expleto.

Magni procul dubio in litteris a suis sodalibus est habitus, ut, quo quisque doctior erat, eo pluris hominem faceret. Nihilo tamen minus ab aliquibus ei datum est culpae, quod aliena scripta nimis nasute distringeret. At enim emunctae naris homo erat: isque reconditioris pulcritudinis sensus in eo inerat, ut menda vel tenuissima, quae in scripta forte irreperent, continuo animadverteret, et repentino quodam instinctu perhorrescens, extemplo censorio ungue notaret. Hinc etiam fiebat, ut ne sua quidem ei satis placerent; et tametsi terque quaterque reddiderat incudi, digna tamen non existimaret, quae in publicum prodirent. Itaque nunquam induci potuit, ut quae potiora essent, in volumen cogeret et publici iuris faceret: quin immo cuncta, vel in frusta discerpsit, vel igne absumpsit. Verum boni Superi prohibuerunt, ne omnia penitus interirent. Multa enim, quae a suis sodalibus, vel discipulis, religiose transcripta erant, eo vita functo, sunt edita, et ab universa republica litteraria summis laudibus excepta. Nam eius carmina et inscriptiones latinae adeo excellunt, ut tamdiu in honore sint futura, quamdiu suum latinis litteris pretium constabit.

De eius religiosis virtutibus haec praecipue commemorantur. Societatem Iesu, cui se addixerat, perpetuo dilexit, eique in omnigenis discriminibus promissi fidem praestitit. Moderatorum aequo et prompto animo imperata fecit. Discipulos ad litteras instituere consuevit, ut pari studio, quod Instituti nostri ratio postulat, ad religionem et pietatem effingeret. Qua de causa non defuerunt qui ab eius ludi subselliis in religiosas cellas se se transtulerint. In quo sane maiore eum commendatione dignum existimo, quo magis doctrinae praestat religio.

Sodales iuniores, ut suam erga virum existimationem et benevolentiam post eius obitum denuo testarentur, die festo Sancti Aloisii Gonzagae, studiosae iuventutis praestitis tutelaris, in maximo ambulacro domus Antonianae Cheriensis, hoc epigramma palam legendum exhibuerunt.

ALOISIO GONZAGAE

PATRONO CAELESTI

SODALES IVNIORES SOC. IESV

POST OBITVM

ALOISI CERVTTI

EX EADEM SOCIETATE

EPIGRAMMA

QVI BENE TORNATAS, LODOIX, TIBI CONDERE LAVDES
DOCTVS ERAT LATIO CARMINE, VEL PATRIO;
EXSTITIT ET NOBIS VITA IVCVNDIOR IPSA,
QVEIS FVERAT IVNCTVS IVRE SODALITII;
HVNC DEVS IPSE TIBI, VOCIS DVLCEDINE CAPTO,
OPTAVIT SOCIVM VERTICE IN AETHEREO;
VT, REDEVNTE TVA SOLEMNI LVCE QVOTANNIS,
ADMIXTVS SVPERIS, CARMINE TE DECORET.
O LICEAT NOBIS PARILES TIBI CONDERE LAVDES,
HAEC SVA SI FVERINT PRAEMIA CARMINIBVS!

OPERA EDITA ET INEDITA

1° *La Redenzione delle Morette,* (Articolo) nel periodico *La Civiltà Cattolica* Serie 2ª, vol. 7°, pag. 337, 475, 607.

2° *Orazioni Sacre del Can. G. Taddei.* Ferrara, 1854 (Rivista). Idem, Serie 2ª, vol. 8°, pag. 447.

3° *Discorsi politici e morali di F. Cavazzoni Pederzini.* Reggio, 1854 (Rivista). Idem, Serie 2ª, vol. 9°, pag. 455.

4° *Il Figlio delle lacrime.* (Articolo). Idem, Serie 2ª, vol. 6°, pag. 593. Pluries editum alibi.

5° *Tommaso Moro, Storia del Secolo XVI, per la principessa di Craon.* (Rivista). Idem, Serie 2ª, vol. 10°, pag. 685.

6° *Due discorsi sulle malattie dell'uva, di Don Felice.* Firenze, 1854, (Rivista). Idem, Serie 2ª, vol. 10°, pag. 688.

7° *Degli scritti inediti di Silvio Pellico.* (Articolo). Idem, Serie 2ª, vol. 11°, pag. 5.

8° *Conversione del celebre sonatore di pianoforte Herman Cohen, per I. B. G.* (Rivista). Idem, Serie 2ª, vol. 12°, pag. 200.

9° *Cronaca contemporanea.* Idem, Serie 3ª, vol. 1°, pag. 99; 505; 690; vol. 2°, pag. 93; 236; 354; 454; 580; 689.

10° *Alla cara memoria del Marchesino Lorenzo Gavotti morto nel convitto di Monaco presso Nizza. Tributo di lode de' suoi compagni.* Torino, tipografia di Giulio Speirani e Figli, 1875. (12°. pp. 127).

Inscriptiones latinae, quae hanc opellam exornant, a Ceruttio confectae sunt, qui reliquas elucubrationes insuper recognovit, atque opellae universae extremam manum admovit.

11° *Saggio di Epigrafi e Poesie del P. Luigi Cerutti D. C. D. G. raccolte ed annotate dal P. Salvatore Casagrandi D. M. C.* Torino, Vincenzo Bona, tipografo della R. Casa 1897 (8°, pp. 158).

Sub initio invenitur eius vitae commentarius, et sub exitu narratio, edita in ephemeridibus *La Civiltà Cattolica* sub titulo *Il Figlio delle lacrime.* Hic, pro re nata, libet animadvertere, in memorato commentario falso narrari P. Aloisium Ceruttium ad sacerdotium in Gallia promotum

fuisse; Romae alterum pietatis tirocinium exegisse, et anno MDCCCLXCII inter sodales domus taurinensis, quam *Residentiam* vocamus, adscriptum esse. Quae de eo hic scripsimus in elogio latino, sunt accuratiora, utpote ex tabellis annuis provinciae taurinensis deprompta.

12° *Isaïae Carminatii S. I. Auditorum Cheriensium Carmina Sacra. Edidit Salvator Casagrandius ex eadem Societate.* Excudit Augustae Taurinorum Vincentius Bona, Regis Italiae Officinator Librarius. Anno CIↃ IↃ CCC XCVIII (12° pp. XVI-62).

In hoc libello continentur aliqua carmina latina ab Aloisio Ceruttio composita quibus annis Cherii sub Isaïa Carminatio litteris operam navabat. Excerpta sunt ex opere superiore, sublatis aliquot mendis, quae incuria typothetae in illud irrepserant.

13° Aliquam opem attulit in redigendo opere, quod inscribitur *Dizionario di erudizione storico-ecclesiastica...* compilato da Gaetano Moroni, Romano.

Alia etiam exstant a Ceruttio confecta, eiusque, vel aliena manu conscripta, quae tamen in lucem non sunt edita; haec videlicet:

a. *Relazione della morte del P. Efisio Trois.* Laval, 31 genn. 1852. Est epistola ad P. A. Ponzam Praep. Provincialem missa.

b. *Onorato I, Principe di Monaco reduce dalla vittoria di Lepanto.* Azione drammatica rappresentata dagli Alunni del Collegio Convitto di Monaco nel giorno della solenne distribuzione dei premi dell'anno MDCCCLXXIII.

c. *L'arrivo della salma di S.ta Devota V. M. in Monaco il XXVII Gennaio dell'anno CCCIII.* Dramma Sacro in V atti, scritto e rappresentato per la distribuzione dei premi nel Collegio-Convitto di Monaco nell'Agosto MDCCCLXXIV.

d. *La cacciata del Presidio spagnuolo da Monaco il 13 Nov. 1641.* Dramma storico in 3 atti... Recitato per la solenne premiazione, (ut supra) del 1875.

e. *Grimaldo I, Signore di Monaco, vincitor dei Saraceni nel sec. X.* Dramma in IV atti... per la solenne premiazione (item) del 1876.

Haec omnia scripta, una cum aliquibus carminibus, vel latinis, vel italicis, asservantur in tabulario provinciae taurinensis S. I. Quamquam pulcra, tamen evulgata non sunt, quod operibus evulgatis multo inferiora aestimarentur.

NOTAE

(1) Altodunum, italice Montaldo Torinese.

(2) *Lettere familiari erudite e descrittive del P. Antonio Bresciani della Compagnia di Gesù.* Roma, coi tipi della *Civiltà Cattolica* 1869, p. 308. En verba Brescianii: « Ecco aperta una bella porta anche ai Lucchesi, per dar nobile, pia e dotta educazione ai loro figliuoli! E sì vi dico, che in Ottobre vi manderò maestri d'ottimo gusto nelle lettere greche, latine ed italiane. Abbiamo dei giovani, carissimo, che sotto un aspetto semplice e modesto covano un'anima calda, che sente il bello squisitamente. Il mondo si sgola gridando, agli oscurantisti, ai retrogradi, agli antiprogressisti. Ed ei si sgoli finchè avrà fiato! Ma se i Gesuiti fossero sì albanati com'egli spaccia, non li curerebbe punto. Abbaia perchè li teme ».

(3) De his experimentis referre praestat quae in litteris annuis collegii massensis, anno MDCCCXLVII conscriptis, legi licet: « Litterarum studiis imposuit finem usitata praemiorum divisio in diligentiorem quemque. Ex carminum recitatione latine atque italice, quae in morem academicarum exercitationum processit, non exigua facta est apud omnes accessio ad laudem nostram, tum quod ea illustrium Massensium laudes contineret, tum maxime quod concinnata politius videretur. Itaque nomen professoris Rhetoricae, quem cives auctorem noverant, omnium sermone per idem tempus celebrabatur ».

Ex tabellis annuis provinciae taurinensis S. I., ex multis notitiis nostrorum sodalium, et ex iis, quorum nos ipsi testes fuimus, Ceruttii elogium conscripsimus.

SECVNDVS FRANCO

XXVII.

SECVNDVS FRANCO

Hic fuit Taurinensis, et in lucem editus anno reparatae salutis MDCCCXVII. Utrum magis pietate, an doctrina praestiterit, est in ancipiti. Doctus enim ac pius fuit in exemplum. Aequum est igitur copiosiorem de eius vita commentarium conscribere. Sollertissimam litteris in patrio collegio, cui nomen a Carmelo, operam dedit, et quindecim annos minor natus, in nostram Societatem, una cum Iosepho Bayma, consobrino et condiscipulo, ingenti gaudio est ingressus Cherii, proxima in urbe (1). Magna sane ad nostram provinciam, quae paucis ante mensibus a provincia romana seiuncta fuerat, horum duorum adolescentium cooptatione, eodem temporis momento, accessio est facta. Quorum exemplum imitati, idem postea amplexi sunt vitae institutum Michaël et Ioannes Iosephus, fratres Secundi, natu minores, docti ambo, et plurimis postmodum apud nostros sodales, ad Dei laudem et litterarum incrementum, muneribus ac laboribus perfuncti.

Itaque Secundus, vixdum inter tirones versari coepit, pietate, ingenio, prudentia adeo floruit, ut aequales eum omnes ad unum suspicerent, maiores vero grandia multa de adolescente sibi pollicerentur. Quippe nihil in eo erat, quod magnum virum non sponderet. A Laurentio Rizzio utinensi ad religionem omnigenam biennium est eductus, et ab Isaïa Carminatio bergomate ad omnem

litterarum humanitatem per annum est informatus. Praealta ac praevalida pietatis fundamenta iecit, et propositi tenax, constantiae et fidei exempla praebuit luculentissima. Nam diutinis, iisque acerbissimis animi angoribus tentatus, hos omnes fortiter superavit. Subinde Taurinum est missus, et in Collegio Convictu Nobilium rem grammaticam naviter tradidit. Hoc tempore iuniores rhetorici, quos Cherii condiscipulos habuerat, quique incredibili eius desiderio tenebantur, litteras latinas, verso eloquio elegantissime conscriptas, ad eum dedere. Hae porro, uti monumentum exquisitae latinitatis, benevolentiae atque existimationis nostrorum sodalium erga Francum, eo iam vita functo, in lucem editae sunt.

Taurini annum commoratus, Iriam contendit, ubi iterum grammaticam, dein litteras politiores docuit, et, biennio elapso, Taurinum est regressus, ut philosophos audiret. Duobus post annis, Calaribus in Sardinia, in Collegio S. Teresiae, rhetor triennium exstitit magnopere probandus. Quo exacto, Romam est missus, ut in Athenaeo Gregoriano sacrae theologiae operam impenderet. Egregium sane hoc fuit eius ingenii testimonium. Nam hanc in urbem, orbis catholici et sacrarum disciplinarum principem ac magistram, ex aliis provinciis a nostris moderatoribus studiorum causa mitti solebant, ut alibi docuimus, qui ingenio ceteris praestare censerentur. Neque sane Francus suorum praesidum opinionem fefellit; quippe theologus numeris omnibus absolutus evasit.

Sacerdotio insignitus, et studiorum curriculum emensus, in urbem Cherium est profectus, ubi alterum pietatis tirocinium, uti nostra fert consuetudo, perageret; conciones, quas vocant Bonae Mortis, in templo Antoniano ad populum haberet, Sanctissimi Cordis Iesu, et Beatissimae Virginis Cordis immaculati sodalitatibus praeesset, et nostrorum sodalium conscientiam regeret. Brevi tamen post tempore in Galliam devenit, ut idem tirocinium conficeret. Quo confecto, Taurinum ad Sanctorum Martyrum est accersitus, ut, hac in aede splendidissima amplissimaque, concionatoris annui officio fungeretur. Hoc munere vix inito, quum anno MDCCCXLVIII nostri sodales, ob civiles turbas, e suis domibus expulsi, hac illac abirent, in pagum provinciae lugdu-

nensis, cui nomen *Nôtre Dame d'Ay,* se recepit; atque institutori nostrorum sodalium, quos Tertianos nuncupamus, socius obtigit. Eodem fere tempore, P. Francisci Pellici, provinciae taurinensis praepositi rogatu, in Angliam se contulit, si forte iunioribus suae provinciae tutam inibi a civilibus tempestatibus stationem nancisceretur. Quae res, quamquam in Anglia e sententia cedere non potuit, in Gallia postea feliciorem exitum habuit.

Interim Francus, quod iamdiu expetiverat atque a Deo enixis precibus expoposcerat, in eo erat, ut pelago se crederet, et in extremam Americam, quae ad septem triones vergit, sese transmitteret, ut nempe homines silvestres ac barbaros earum regionum ad humanitatis et religionis cultum traduceret. Quo facinore nil sane luculentius exstare poterat. At moderatores facultatem emigrandi praestolantem, in Italiam, armis Gallorum et Germanorum pacatam, revocandum existimarunt. Itaque, eorundem iussu, paucis post mensibus quam ad sollemnem quattuor votorum professionem promotus fuerat, Bononiam properavit, et in domo, quae tum primum a nostris sodalibus statuta fuit, pias Beati Patris Ignatii commentationes clero tradere coepit. Hoc in munere divinissimo obeundo in exemplum enituit. Quam ob causam, insequentibus annis, passim ab Italiae Episcopis est arcessitus, ut sacerdotum animos in sacro recessu ad omnimodam pietatem instauraret. Haud facile narraverim quot, in hoc agro excolendo, fructus ubique tulerit. Illud plane non praetereundum, hanc piam consuetudinem sensim exinde invaluisse in omnibus paene Italiae dioecesibus, plurimo religionis bono; quod Franci studio magna ex parte acceptum complures Episcopi referendum iure putaverunt. Hic enim et normas tradidit, quibus hoc munus quotannis rite expleretur.

Anno proxime insequenti, Romam accitus, in templo maximo Societatis nostrae, singulis diebus dominicis, ad populum pro suggestu verba facere coepit; et audientium animos ita tenuit, ut singularem sui admirationem apud omnigenos hominum coetus excitaverit. Erat enim in eo ingenii, doctrinae, eloquentiae et sanctitatis plurimum. Praeterea, civili sapientia et rerum usu, aequalibus longe praestabat. Itaque eum quamplurimi, vel in templo perorantem, vel pro sacro tribunali assidentem conveniebant; quin

etiam domi commorantem crebro adibant, ut de religiosis, vel civilibus controversiis ac praecipue de gravioribus animae negotiis, uti oraculum consulerent, et suae, suorumque saluti sempiternae tutius prospicerent. Huc etiam accessit, quod Francus tum temporis, quid insuper scribendo valeret, palam omnibus fecit. Etenim opellas optimae frugis in vulgus edidit; quas inter omne punctum ferre visa est quae de sacratissimi Cordis Iesu cultu sapienter admodum ac religiose disserit. Tum magis est cognitum qualis, quantusque foret, doctissimus nimirum, idemque religiosissimus; et ab universa republica, tum litteraria, tum religiosa, pluris haberi ac domi forisque celebrari est coeptus.

Biennio circumvoluto, in Latio atque in Etruria sacras *missiones* vicatim est auspicatus. Quibus in laboribus, animarum venator assiduus et maxime strenuus, hominum, quos iamdiu in vitiorum coenum demersos, ad bonam frugem reduxit, ingenti praeda est potitus. His itaque de causis, vix ulla nostrorum domus reperiebatur, quin eum sibi adsciscere, eius uti opera, et consuetudine frui, quam maxime averet. Cuius voti, domus Florentina, quam P. Aloisius Ricasoli regebat, compos exstitit. Quocirca Francus, vertente anno MDCCCLVI, Florentiam contendit, summa sodalium, qui illic degebant, gratulatione et laetitia. Quo cum venisset, continuo campum multo patentiorem est nactus, cui divini verbi semina haud frustra committeret, et quem ceteris praeterea pietatis ministeriis quam laetissime excoleret. In his igitur muneribus totus esse coepit, ut ne punctum quidem temporis sibi vacuo esse liceret, atque, uno posito labore, alium adgrederetur; neque prius ab opere desisteret, quam vires corporis animi virtuti impares deficerent.

Diebus dominicis, in aede vastissima, Sancto Caietano dicata, confertissimam populi multitudinem alloquebatur. Multi, vel doctrina, vel pietate praeclari, eum certatim conveniebant auditum; multi etiam, vel generis, vel magistratus amplitudine maxime conspiciendi, quos inter aliqui exterarum nationum legati, et Magni-Ducis Etruriae administri, rheda invecti, ad sacram aedem accedebant, ut ante fores frequentem curruum splendidissimorum ordinem videri liceret, sui cuiusque heri reditum opperientium.

Itaque oratoris nomen, brevi post tempore, non modo totam urbem, sed universam Etruriam complevit. Insuper quotidie aures admissa fatentibus diutissime ac patientissime accommodabat. Saepe etiam, tum ipsa in urbe, tum in viciniis, pia Sancti Ignatii exercitia religiosis familiis, vel sodalitatibus tradebat. Quibus vero temporibus conciones in aede Sancti Caietani vacabant, alias in urbes proficiscebatur, vel ut eadem exercitia clero commentaretur, vel sermones, per ferias ieiunio quadragenario sacras, ad populum haberet.

Neque his contentus laboribus erat, quin graviora onera sibi ultro imponeret, quo scilicet christianae plebis saluti magis magisque in dies provisum iret. Quum enim Lutheri et Calvini sectatores, quos Protestantes vocamus, plurimis in Etruria sparsis libellis et pecunia proposita, Christifideles bene multos, vel inscitia, vel inopia adductos, in suam quisque societatem transcriberent, Francus, ardentissimo religionis et animarum studio incensus, acerrimum id genus haereticis bellum indixit, tanta virtute et constantia, ut princeps in praelium iret, postremus excederet. Itaque non est deterritus, quominus e sacro suggestu cum iis extemplo in complexum veniret; eosque ad incitas redactos plane confecit. Opus praeterea in vulgus edidit, quo eorum iniquam fidem, mendacia et malos mores palam facere non dubitavit. Ita accidit, ut complures qui catholici ad eos sese transtulerant, exinde quam citissime, magno numero, pedem referrent, et publice abiuratis erroribus, summa bonorum omnium laetitia, in Ecclesiae romanae sinum se iterum reciperent.

Ab eodem suggestu idem praestitit contra rerum publicarum subversores, qui cum haereticis illis pacto foedere, consiliis ac viribus iunctis, rebus novis studentes, iura omnia sacra et civilia abrumpere, et ipsam hominum societatem a fundamentis evertere conabantur. Itaque Francus horum technas, fraudes et coeca in reges et pontifices molimina detexit, atque in eos, perinde ac in Dei ipsius et humani generis osores, vehementissime est invectus. Saepe etiam cum his confligendo, ostendere solebat, catholicam religionem unam esse, qua stant civitates; quandoquidem, hac dempta, iura omnia atque hominum foedera, praesidio destituta, extemplo corruere necesse sit.

Porro haereticorum et factiosorum turba Franci eloquentiam et robur molestissime ferebant. Quorum animi ita sunt concitati, ut de illo perdendo consilium inierint. Itaque oratoris laudes, qua voce, qua scripto, cum privatim, tum publice, obterere coeperunt, quo maximam ei apud plebem invidiam conflarent, eiusque gratiam apud Leopoldum II, Magnum-Ducem Etruriae, facilius convellerent. Neque id satis habuere. Nam Francum eodem crimine apud summos magistratus insimularunt, cuius ipsimet rei exstabant: per eum nempe publicam quietem turbatum iri, et brevi civitatem in armis futuram. Dandam proinde operam, ut Francus ab Etruria continuo expelleretur, ne quid respublica detrimenti caperet. His artibus se conata perfecturos sperabant. Iamque tanti facinoris laetitiam animo praecipiebant, ac veluti de victoria explorata inter se gratulabantur.

Tum homines exstitere de catholico nomine egregie meriti, et in nostram Societatem optime animati, qui tantam calamitatem antevertendam existimarunt. Per hos itaque factum est, ut Magni-Ducis noverca, eadem fiducia qua filium mater alloquitur, ei verba legere non dubitaret, quibus Crétineau-Joly, historicus gallus magnae auctoritatis, et fama notissimus, in libro *de Bello Helvetico,* aperte ait atque exemplis ostendit, quorum impiorum consilio reges Societatem Iesu exulatum abire iussissent, horum opera similes poenas persolvisse. Quibus auditis, Leopoldus, animo exterritus, veritusque, ne, si Francum in exilium pelleret, eandem sibi perniciem pararet, visus est polliceri, se nunquam commissurum, ut suo ipse nomini tantam labem inureret.

Francus haec omnia quum rescivisset, sibi ulterius cunctandum non existimavit, quin ipsius Magni-Ducis adeundi facultatem impetraret, ut de eius in se voluntate certior fieret. Qua facile impetrata, ad eum est ingressus. Tum vero Magnus-Dux, quum hominem humanissime excepisset: Laetari se, ait, quod talem virum coram cerneret, cuius egregia virtus tantae civibus esset utilitati et ornamento; eique hac de causa gratias agere quam maximas. Dein Franco in eum sermonem ingresso, quo rationem Magni-Ducis conveniendi explicare constituerat, « Bono animo, inquit, te esse iubeo. Equidem haec probe novi, nec patiar a quoquam tibi vim inferri. Paucorum insanientium talis quidem

est animus. At horum consiliis nunquam aures praebebo: quin immo pro viribus obstabo ». Tum Francus securus iam sui, aliquot haereticorum et perduellium libellos Magni-Ducis ob oculos posuit, ex quibus aperte planeque perspiceret, quinam tandem essent, qui de principatu deturbando cogitarent. Enimvero his libellis homines huiuscemodi de ipso Magno-Duce talia scribere atque invulgare ausi erant, perinde quasi de eo actum esse videretur. Hac re perspecta, Leopoldus se Franco gratum exhibuit, et qua humanitate exceperat, eum dimisit.

At enim vix biduum intercesserat, quum Franco, nil tale suspicanti et cum sodalibus a prandio, animi causa, colloquia miscenti, nuncius adstitit, qui supremo ab internis Etruriae rationibus administro a secretis erat, eumque, intra viginti quattuor horarum spatium, a ditionis finibus excedere, Magni-Ducis nomine iussit. Tum Francus, vehementer commotus, atque indignatus, quod fides paullo ante a Magno-Duce sibi data, iuraque omnia sacra et civilia, tam nefario imperio obtererentur, « Equidem, nuncio inquit, abibo. Verum magno administro tute, meo nomine, referto, me contra eum ad Dei, iustitiae adsertoris ac vindicis, tribunal adpellatum ire ». Subinde epistolam conscripsit eloquentissimam, qua innocentiam suam plane vindicavit. Quam epistolam quum homini cuidam dedisset, Magno-Duci reddendam « I modo, inquit, et Magno-Duci, meo nomine, referas amabo, me extemplo abiturum quidem; ei vero cavendum, ne serius ocius alius quidam me sequatur ». Quum responsum frustra expectavisset, moerens ac dolens tot spes conceptas momento evanescere, ac simul gavisus quod dignus haberetur, qui pro Iesu nomine tantam vulgo contumeliam pateretur, imperio paruit. Anno proxime insequenti, ipse Magnus-Dux Leopoldus II, ab iisdem haereticis ac perduellibus circumventus ac proditus, quum regno abdicavisset, atque in eo esset ut raedam conscenderet, qua, non modo ab Etruria, sed ab Italia exul perpetuo abiret, haec verba protulisse, quin etiam ingeminasse fertur: « Haec omnia Pater Francus mihi praenunciaverat ».

Postea Francus Massae-Ducis, et Bastiae in Corsica aliquandiu constitit. Quum vero anno MDCCCLIX, ob notas civiles turbas, antiqua civitatum italicarum regimina pessumdarentur, sibi timens,

Mediolano, quo concionandi causa devenerat, mentita veste aufugit, et Genevam apud Helvetios se recepit. Ibi cum Caspare Mermillod, viro religiosissimo, qui hac in urbe templum catholicum a fundamentis excitaverat, et postmodum Lausoniorum Episcopus creatus, hinc impiorum machinationibus per summum nefas et ipse eiectus est, arctissimam consuetudinem iniit et una cum eo aliquandiu plebem catholicam pro concione aluit ad virtutem.

Anno proximo vertente, Tridentum in Rhetiam se contulit, in quam aliquot Provinciae Venetae sodales, ab Insubria expulsi, se receperant. Divina sane Providentia est effectum, ut in hanc regionem veniret; quandoquidem ad messem evangelicam iam matura esset. Atque ita, quod in sacro ministerio apud Etruscos detrimentum acceperat, brevi post tempore apud Rhetos sarcire instituit. Itaque cum nonnullis venetae provinciae sodalibus, quos inter fuere Cavalierius et Casolius, viri divinae gloriae et animarum salutis cupidissimi, in sacris expeditionibus esse coepit. Quattuor amplius annos hoc munus extraxit, et in idem totus incubuit. In quo obeundo, se ducem et militem simul praestitit. Quippe sacrae *missionis* rationem, quam ipse instituerat, primus explicabat. Urbes, oppida, castella peragrabat, durissimo anni tempore, per montium abrupta, imbribus decidentibus, vel altissimis nivibus, omni praesepto aditu, ut locorum periti ad semitas expediendas adhibendi essent. Praesentissimo animo ad statum locum contendebat, indigenis admirantibus, qui, eius moti exemplo, nullam ad sequendum moram inferebant.

Quo cum ventum esset, sacra in aede, vel ob multitudinem in dies adeo succrescentem, ut multorum millium numerum expleret, eique capiendae templa, quamquam vastissima, forent imparia, sub divo concio habebatur. Porro Francus, ut cuilibet viro esset saluti, omnigenis artibus utebatur. Alias in scelestos invehebatur; ac poenas, quae impios consequuntur, magni animi ardore et vehementia, declarabat: illas nimirum esse acerbissimas, quae humanum modum longe excedant; diuturnas praeterea, ut nunquam finem sint habiturae: quod eo pertinebat, ut obstinatiores concuterentur, atque ad poenitentiam accederent. Alias, ne nimio terrore percellerentur, neve adeo animis conciderent, divinam bo-

nitatem enarrabat, praedicabatque; utpote quae tanta sit, ut neminem unum, vel flagitiosissimum, a se repellat, et cuivis homini in ea, nullo non tempore, spes salutis consistat. Itaque omnium voluntates ad arbitrium flectebat. Tum vero templa, plateae, vel etiam colles, vallesque gemitibus ac singultibus personabant. Complures pectus decutiebant, divinam clementiam inclamabant, et se in posterum a culpis temperaturos vulgo profitebantur.

Qui subinde ad Francum accedebant, ut sua quisque admissa privatim faterentur, hos idem blande appellabat, et perinde ac pater filios, summa benevolentia complectebatur, Deoque penitus conciliabat. Ad hoc plura tribunalia culpis abluendis, diem noctemque aperta prostabant, ut haud raro sacri administri, quo unicuique praesto essent, diem nocti, noctemque diei coniungerent. Qua de causa haud facile narraverim quot laborum fructus Francus, eiusque socii retulerint. Mutuae offensiones, atque odia capitalia, quibus complures dissidebant, radicitus sunt evulsa, male parta restituta, connubia rite celebrata, boni mores instaurati, et pietas ubique reflorescere est visa. Nam Francus, praeter eos quos commemoravimus, labores alios, eosdemque gravissimos, obeundos susceperat, quo Rhetis ad veterem pietatem retinendam, vel revocandam, maiori esset subsidio. Quippe ad patres matresque familias, ad magistros, ad discipulos, ad famulos aliosque hominum vel mulierum coetus, conciones habuit quamplurimas. Insuper, quo longius quidquid boni inierat, in posterum produceretur ac firmius consisteret, pias sodalitates, quas a Iesu et Mariae Sanctissimis Cordibus nuncupatas voluit, instituendas curavit.

Ad haec id etiam praestabile accessit, quod opuscula conscripsit, vulgavitque; quorum ope plebem ab iis culpis facilius removeret, in quas incidere consuevit. Horum alteri nomen fecit *Delle veglie ed amoreggiamenti nelle campagne;* alteri vero *La scuola dei delitti aperta nelle osterie.* Innumerabilia exemplaria operis praeclarissimi, quod paucis ante mensibus, quam ad Rhetos veniret, in lucem protulerat, quodque inscripserat *Risposte popolari alle obbiezioni più comuni contro la religione,* in totam Rhetiam, aliasque Italiae regiones divulgavit, tanto religionis bono, ut quibus annis apud Rhetos est commoratus hoc eius ingenii ac pietatis monumentum sexies excusum sit.

Id vero satis mirari nequeo, atque instar prodigii habendum paene dixerim; Francum videlicet, quamquam erat tot laboribus intentus, ut horae particulam ab his vacuam aegre admodum nancisceretur, ad huiusmodi libros conscribendos edendosque incumbere potuisse. Etenim, quo etiam tempore sacrae expeditiones in Rhetia intermittebantur, in alias Italiae regiones proficiscebatur, in quibus, vel conciones per ferias quadragenas ieiunio sacras, vel commentationes per mensem Beatae Virgini dicatum, ad populum habebat. Hinc nosci licet, virum temporis aestimatorem adeo avarum fuisse, ut vel minimum horae articulum elabi non sineret, quin lucri faceret.

Quae omnia seniores populi, curiones sacri, et municipum curatores apud se reputantes, quam maximas Franco gratias agendas existimarunt. Itaque, datis litteris, vehementer ei sunt gratulati, quod sui paene immemor, sibi nuspiam pepercisset, quo populares e diuturno vitiorum veterno excuteret, atque ad virtutem sectandam excitaret. Eum hanc ob causam de se, deque suis optime meritum esse; se vero tot benefactorum memores in posterum futuros. Neque minus Franco, quo duce, tot egregia stipendia meruerant, itinerum comites et laborum socii, praecipue Cavalierius, sunt delectati. Quippe in illum, veluti in exemplar inspiciebant, quod imitarentur. Dei amorem, quo idem incendebatur, praesertim mirabantur; atque orandi studium, cuius gratia, noctes interdum, ante effigiem Iesu cruci affixi, genibus nixus, insomnes ducebat, adeo ut naturam vinceret, summis laudibus efferebant. Quibus Franci virtutibus, post ipsum Deum, acceptum retulerunt sacrarum expeditionum exitum, quo nil felicius contingere poterat.

Postremo non conticendum, Francum, his laboribus perfunctum, magnam animi laetitiam cepisse, quod scilicet, Deo favente, et sociis adiuvantibus, tantum *missionis* praemium tulisset, atque incommoda superiora, quae in Etruria acceperat, in bonum vertisset. Videbat enim, se tandem eo voto esse potitum, quod olim, adhuc adolescens, animo conceperat, quum videlicet Fridericum Torniellium, Societatis nostrae sodalem sanctissimum et divinae gloriae studiosissimum, in sacris expeditionibus apud Sardos secutus, eiusque ardorem atque uberrimos pietatis fructus admi-

ratus, tanti hominis virtutem iamtum aemulari, et Deo imperatori suo parem operam praestare statuisset.

Anno MDCCCLXVI, Victorius Emmanuel II, Italiae rex, tametsi ab Austriae imperatore, terra marique maximis praeliis commissis, pulsus ac fugatus erat, totam provinciam venetam in suam potestatem redegerat, Francus ab urbe Venetiis digressus, quo concionandi causa se contulerat, Romam venit, et in aede maxima Iesu nomini sacra, oratoris annui officium biennium obiit. Hinc ad Subalpinos contendit, et sub exitum anni MDCCCLXIX, sodalium, qui Augustae Taurinorum morabantur, moderator est iussus ; eoque munere quattuordecim annos felicissime functus est. Quippe cunctos, non tam auctoritate, quam exemplo antecedebat. Singulis diebus dominicis in aede Sanctorum Martyrum populum divini verbi pabulo alebat; pio coetui matronarum, cui ab *humilitate* fit nomen, et sodalitati Bonae Mortis praeerat; complures continentes horas quotidie ad culpas pro sacro Poenitentiae tribunali abluendas incumbebat; pias commentationes Sancti Parentis Ignatii clero vel religiosis familiis enucleabat; aliisque temporibus statutis, ad ceteras Italiae regiones iter habebat, quo, ut supra monuimus, omnigeno concionum genere christianam plebem, et religionis administros ad pietatem foveret, atque ad maiora in dies sectanda excitaret. Singulis etiam annis, novum aliquod opusculum in vulgus proferendum curabat, ut etiam scripto Christifideles ad religionem informaret. Quamplures, tum viri, tum mulieres amplissimi generis, et eximiae religionis et doctrinae, ad eum frequentissimi accedebant, seque ei totos in via virtutis terenda libentissimi tradebant; utpote qui, Franco duce, maximos quosque progressus se habituros sperarent.

Anno MDCCCLXXXIII, rector domus antonianae Cheriensis, atque una tironum nostrorum magister est renunciatus. Domus regimen triennium, tironum vero biennium obtinuit; et in utroque munere magna sedulitate ac pari felicitate usus est. Nam, eo auspice, maxima ad religiosos mores et domesticam disciplinam incrementa accessere; studia item litterarum magnopere floruerunt. In hoc autem potissimum est dilaudatus, quod tirones, uti parens natos, singulari benevolentia complecteretur, eorumque praecipue aegrotorum, rationem haberet, ne quid iis ad vitae usus

necessarios deesset, neve sibi maiora onera imponerent, quam cuiusque vires essent ferendo. In eo totus fuit, ut tirones iamtum solidissima religiosae professionis fundamenta iacerent, Deum in rebus omnibus spectarent, inter se, perinde ac eiusdem matris filii, diligerent, et moderatoribus dicto audientes forent quam maxime. Tum vocis magisterio, tum suimetipsius exemplo, ad omnigenas virtutes eos informabat; iisdemque acriores in dies stimulos admovebat ad effrenos animi motus coërcendos, ne facile rebellarent, et statos fines transilirent; aiebatque, a primis religiosae vitae experimentis, veluti ab incunabulis, vires esse hauriendas, et spiritus sumendos ad grandia pro Dei laude, et animarum bono in posterum patranda, ne maiorum nostrorum, ac praesertim Sancti Ignatii, Societatis nostrae Patris Legiferi, degeneres simus. Itaque illis fortunatissimis esse licuit, quibus tanto frui pietatis magistro est concessum.

Neque tamen Francus cetera eiusdem domus commoda neglexit. Aedibus contignationem in antico superaddidit; frontem detersit, exornavitque. Rus quoque priscae Societatis Iesu, quod in suburbano est situm et Aloisilla vocatur, aere redimendum curavit, ut iunioribus, qui litteris dant operam, pristinum statis rusticando feriis solatium praeberet. Ad hoc divini cultus splendorem auxit. Nam sacellum domus antonianae, ante abolitum sodalitium vix extrui coeptum absolvit, et a summo fornice ad basim opere albario, pictorio, omnibusque parergis mirifice decoravit. Praeterea, eo rectore, in templo cognomine ara princeps e fulvo marmore constituta est. Quum vero paucis post annis quidam templum idem a parte aversa longius producere statuisset, Francus ab hoc eum consilio depulit, ne quae species sacrae aedi a Iuvara, artifice nobilissimo, indita fuisset, turpiter deformaretur.

Post haec Taurinum est regressus, popularibus suis laetitia gestientibus. Licet enim, qua tempestate Cherii est commoratus, Taurinum septimo quoque die se conferret, ut quampluribus, qui eius ab hac urbe abitum aegerrime tulerant, aures in sacro poenitentiae Sacramento praeberet, eiusdem tamen reditus a cunctis civibus taurinensibus efflagitabatur. Paulo post, omnia scripta, quae ediderat, recognovit, meliorem in ordinem redegit, auxit, per-

fecit, et quampluribus voluminibus conclusa Mutinae iterum edenda curavit.

Anno MDCCCXCIII, morbo gravissimo est tactus; quo in dies recrudescente, Cherium, in suburbanum domus antonianae, moderatorum hortatu, se recepit, si forte vires recuperaret. At perperam. Itaque sub anni exitum, quum Taurinum iterum venisset, se totum divinae voluntati libentissime commisit, et hilari animo mortem adventantem excepit. Sodalibus circumsistentibus, quos inter provinciae taurinensis Praepositus, e vita cessit IV idus novembres, annos natus circiter septem atque septuaginta.

Haec quidem sunt praecipua eius vitae facinora, quae in luce atque in oculis omnium sunt posita. Verum alia etiam iuvat attingere, quibus non minus praestans est habitus. Magni animi, et propositi et constantiae; aequi rectique tenax, veritatis amator, ut quae sentiret, libere efferret, ad hoc a natura, uti dictitabat, consulto factus. Itaque sibi perpetuo constitit, et quum etiam aetate insenuerat, mores non immutavit. Desidiae osor, laboris patiens, vacatione aetatis nunquam est usus; et quum mors iam paene in foribus aderat, tum quoque ab opere non destitit.

Iesum unice dilexit, eiusque suavissimi Cordis, cuius amore a puero incendebatur, cultum longe lateque, verbis, scriptis, et imaginibus mira arte depictis, impense propagavit; atque ad eius divitias hominibus patefaciendas tamdiu incubuit, quamdiu vita superfuit. Itaque divini Cordis Iesu Apostolus merito est nuncupatus. Quo ex Corde, tamquam e fonte, illam in Deum caritatem deprompsit, qua toto vitae tempore vehementissime flagravit. Cuius studio impulsus nihil arduum sibi existimabat, quod non virtute consequi posset. Quapropter maxima quaeque contento cursu adgrediebatur; quandoquidem facilia ex difficilibus ardor animi efficiebat; nec unquam ab instituto opere discessit. Hinc flammam concepit, quae tum praecipue ex eius ore erumpere solebat, quum precationi vacabat, vel rem divinam faciebat. Olim etiam aediculae, quae hostiam Eucharisticam asservat, capite admoto, pie adhaerere a nonnemine est visus. Hinc demum ea eloquentiae copia ac vehementia oriebatur, qua in animi motibus excitandis potissimum valebat, et devios homines

quamplurimos ad rectum virtutis iter revocavit. Nam ipse prior intus commovebatur, quin etiam in lacrimas effundebatur; atque auditores ad dolorem, ac fletum impellebat. Itaque nonnulli viri ad lugendum minime proclives, ad Francum in templo perorantem accessere, antea professi, se nulla prorsus ratione lacrymaturos. At frustra. Nam, eo audito, a lacrymis temperare non potuerunt. Neque id solum in sacris *missionibus* evenire consueverat, in quibus rerum novitas et externi apparatus apud agrestes et montanos homines, oculis, animisque percellendis peridonea existunt, sed etiam inter excultos magnarum urbium incolas. Enimvero, quum olim Romae esset, et in templo Farnesiano concionem haberet, tanta ex improviso commotio est orta, ut ad unum omnes, eodem temporis momento, in ingentes clamores atque eiulatus eruperint. Alibi etiam adeo in dicendo incaluit, ut lacrymae, quas ipse, eiusque auditores fundebant, verba interceperint, et concionem omnino intercluserint.

Vulgi caritate plurimum enituit. Quo quisque egentior erat, eo maiorem commendationis aditum apud eum habebat. Cuidam mendiculo frigore laboranti subuculam suam, quod alia in praesens non suppeteret, dare non dubitavit. Gravitatem comitate condiebat, nec quisquam erat, quem non humaniter exciperet, et cui pro ope sua subsidio non esset. Itaque hinc etiam eius laudes ab omnibus efferebantur. Virginem Deiparam impense amavit, eiusque Cordis purissimi religionem ubique aluit ac fovit. Multa admodum ac pulcra de ea scripsit, ediditque, et sermonibus frequentioribus, praecipue in sacris expeditionibus, Christifideles hortabatur, ut ad eius clementiam, praesertim in extremis casibus se totos reciperent; siquidem in ea spes altera expediendae salutis posita sit. Ecclesiam Catholicam in oculis habuit, eiusque iura aperte tueri non est veritus. Summi Pontificis causam strenue egit, eiusque principatus civilis versam vicem maxime indoluit. Societatem Iesu, in quam adolescens transcriptus erat, usque ad vitae exitum summo amore complexus est. Hanc, uti matrem filius, plane noverat, et quid eadem, eiusque alumni tandem essent, edito libro, palam omnibus fecit. Quamquam, ut hoc innotesceret, in ipsum Francum inspicere praestabat; quippe qui vitae sanctitate, doctrinae copia, et rerum gestarum magnitudine,

tanta Matre dignissimum se ostenderet, eique magno solatio, subsidio atque ornamento esset.

Nihilo tamen minus, quum tantus esset tantique fieret, nunquam se extulit, nec ulli se antetulit; quin etiam infra omnes se abiecit. Enimvero, quum Stocchii aequalis sui conciones typis impressas perlegisset, exclamasse dicitur: « Equidem, si huiusmodi conciones antea evulgatae essent, meas neutiquam edidissem ». Moderatoribus obsequens ut qui maxime, nullum unquam onus detrectavit, quod ab iis sibi impositum esset. Nil etiam, iisdem inconsultis, adgrediebatur. Cuidam percontanti, cur praeclarum officium, quod ei delatum esse existimabat, adire renuisset: « Longe, inquit, te fallit opinio. Hoc nunquam oblatum, nedum mihi delatum est munus. Ceterum, ut nihil unquam postulo, nihil item recuso ».

Religiosae disciplinae observantissimus, privatae commoditati non inserviebat. Cupiditatibus ultro bellum indixit, et corpus in animi potestatem redegit. Quum confessionibus poenitentium excipiendis, tempus ad multam noctem esset producendum, acutos stimulos corpori admovebat, ne somno, cuius maxime erat impatiens, sensim succumberet. Itaque hoc etiam labore se duravit. Custodia sensuum castitatem texit ac saepsit, ut eam labe immunem praestaret. Cuius virtutis hoc egregium periculum fecit. A foemina tentatus, quod fuga sibi consulere non posset, quin rei suspicionem vulgo iniiceret, divino numine implorato, ab animi virtute consilium capiens, eam adeo exterruit, ut a concepta spe plane deiecerit. Ex his omnibus satis superque elucet, Dominum Iesum illam Franco fidem praestitisse, qua, ad Beatam Mariam Margaritam Alacoque verba faciens, est pollicitus, qui omnes Cordis sui sanctissimi cultui se devovissent, ad grandem sanctitatem brevi evectum iri, et non solum sibi ipsis, sed aliis etiam quampluribus saluti futuros.

Cum Franci pietate doctrina certavit, ut, prouti ab initio scripsimus, utra utri concesserit iudicari nequeat. Eius opera amplius quadraginta enumerantur. Ac sane uberrima omnigenae scientiae supellectile sunt instructa, ea praesertim, quae Deum et hominem spectant. In his enim Francus, divinorum librorum, theologorum, philosophorum, Ecclesiae Patrum, ac Doctorum sententias veluti prae manibus habet. Item aliorum scriptorum,

qui de religione, vel de moribus sunt locuti, eorum praecipue, qui vitae sanctitate enituerunt, et in Caelitum album sunt relati, notitia pollet copiosissima. Recentiorum temporum, atque hominum indolem plane exploratam habet, quippe in mediis perturbationibus, quae rempublicam, tum sacram, tum civilem subverterunt, vitam agitavit. Itaque perpetuo rem suam ita conficit, ut non minus sententiarum gravitate et argumentorum pondere, quam ordine et perspicuitate, apte omnino et composite scribat, eiusque opera non solum a doctis, sed etiam ab indoctis oculis libenter admodum usurpentur. Insuper sermonis proprietate ac nitore, quin etiam elegantia, maxime est commendandus. In quo, tanto maiore eum commendatione dignum existimo, quod, dum maxima prosequitur, minima non negligit. Ita enim, ex veterum praescripto, a Carminatio praeceptore edoctus erat.

Hinc est effectum, ut Franci opera, eo adhuc vivo, compluries ederentur, et nonnulla in omnes paene Europae sermones, atque etiam in armenium verterentur. Ceteris praestant quae inscripsit *Risposte popolari alle obbiezioni più comuni contro la religione — Il soprannaturale, ossia le ricchezze interiori del Cristiano — Della divozione al S. Cuore di Gesù e delle sue eccellenze.* Haec eadem sunt, quae in maius religionis bonum cessere, non solum apud homines ignaros ac rudes, sed etiam apud doctos et summopere excultos. Hos inter exstitit sacerdos, magnis perfunctus honoribus, qui cum in eo esset, ut a fide catholica desciscceret, et eorundem operum primum perlegisset, tanta ex improviso veritatis luce est perfusus, ut ab inito proposito discesserit, et postea in prisca fide firmissime permanserit. Item quidam medicae artis doctor, quum opus alterum oculis perlustrasset, magna admiratione perculsus animae suae saluti prospicere statuit, atque ad religionem totum se contulit.

Illud denique non conticendum Franci pietatem ac doctrinam, non minus litteris, quas ad privatos dabat, ut eos ad virtutem institueret, quam operibus evulgatis palam fieri. Quamquam vero utraque tanta fuit, ut inter viros praecipuos, qui, vertente saeculo XIX, in rebus, tum litterariis, tum religiosis floruerunt, adnumeratus sit. Quamplurima de hac opinione testimonia in medium producere possum. At, brevitatis causa, potiora tantummodo pro-

feram. Fridericus Torniellius, cuius praeclara sanctitatis merita toti Italiae innotuerunt, de Franco adhuc adolescente, « Hic modo, inquit, aequalibus in exemplum praelucet; at in posterum grandia omnino facinora ad Dei honorem patrabit ». Aloisius Ricasoli, vir nobilitate, religione ac sapientia clarissimus, qua tempestate Francus Florentiam, in domum, cui ipse praeerat, se contulit, haec verba litteris annuis consignanda curavit: « Patris Franci adventus Patres nostros admodum erexit ». Franciscus Pellicus, qui provinciae taurinensis praefecturam obtinuit, atque inter Praepositi Generalis assessores est cooptatus, Francum, uti virum singulari virtute praeditum, verbis efferre solebat. Ioannes Roothaan qui universae Societati Iesu regendae praepositus est, multa Franco benevolentiae et existimationis signa praebuit, et qua pollebat auctoritate, aditum ad sacras *missiones,* brevi temporis lapsu, expedivit.

Hoc autem vita functo, quum novus praepositus esset eligendus, Francus, quamquam aetate iunior, a sodalibus est adlectus, qui totius ordinis conventui interesset. Qua quidem legatione est honestatus adeo praemature, virtutis ergo. Ad eundem etiam conventum est missus anno MDCCCLXXXIII. Suae praeterea provinciae multos annos consultor fuit, atque ad altiora munia evectus esset, nisi concionatoris et scriptoris officia, ad quae perpetuo et egregie oppido incumbebat, impedimento fuissent. Postea vero quam nobis eum Superi inviderunt, Societas nostra universa tanti hominis iacturam acerbissime tulit, et praepositus provinciae taurinensis, datis litteris, quae sodales de viri obitu admonerent, plurimo illum, quod raro admodum in nostra provincia usuvenit, elogio condecoravit. Scriptores vero ephemeridum, quae a *Civilitate Catholica* sibi nomen adsciscunt, etsi Francus ipsorum collegio nunquam addictus fuerat, tamen eius facta praecipua honorifice commemorarunt. Postremo quidam e nostris sodalibus de Franci vita commentarium conscripsit, non minus rerum veritate, quam copia praestantem, ediditque anno MDCCCXCVII in litteris provinciae taurinensis, quae tertio quoque anno evulgari solebant. Ex eo multa equidem deprompsi; nam scriptor, quae omnia de Franco enarravit, a puris fontibus petivit. Alia praeterea in eodem commentario refe-

runtur, digna omnino quae oculis usurpentur, menti insideant, et re exprimantur.

Hae quidem benevolentiae et honoris significationes domi a sodalibus Franco sunt habitae: neque vero minores foris ab aliis sunt exhibitae. Ioannes Boscus, cuius sanctitatis fama totum orbem complevit, plurimi eum fecit, sententiam saepenumero rogavit, eidemque multa retulit accepta. Aloisius Anglesius, qui Venerabilem virum Iosephum Cottolengum, in eius pia sodalitate moderanda primus excepit, maximam cum Franco consuetudinem iniit; eius concionibus assidue interfuit, easque omnes, illas praesertim, quae ad clerum habebantur, summis laudibus extulit. Neque minus compluribus Italiae Episcopis, qui eum certatim expetebant, Francus iucundus exstitit. Horum nonnulli ab interioribus consiliis eum habuere. Caietanus Alimonda, Pater Cardinalis, Archiepiscopus Taurinensium, eundem inter iudices extra Synodum transcribendum curavit. Complures antistites romani, et aliquot etiam in Patrum purpuratorum collegium optati, eius opera sunt usi. Quorum unus ei auctor ac suasor fuit, ut Leonis XIII, Summi Pontificis decretum, XIX kalendas ianuarias anno MDCCCXC promulgatum, religiosis familiis, quarum intererat, commentaretur. Qui Pontifex, commentario perlecto, scriptorem magnopere laudavit, eiusque operam ratam habuit. Idem, pontificatu romano vix inito, Francum humanissime excepit, de maximis Ecclesiae Catholicae negotiis cum eo est locutus, et magni omnino hominem facere, eique fidere est visus. Serius eum arcessivit Romam, ut sacerdotibus, qui frequentissimi peregre in Urbem convenerant, Sancti Ignatii a Loiola pias commentationes enuclearet. Id vero Francus in templo sodalium Salesianorum, Sacrosancto Iesu Cordi dicato, ad Castrum Praetorium egregie praestitit.

Postea vero quam Francus e vivis excessit, et mortis nuncius est ditus, boni omnes magnopere sunt commoti, et praeclara eius facinora, aut privatis, aut publicis sermonibus illustrarunt. Complures viri, nobilitate, vel doctrina praestantes, matronae spectatissimae, Ordinum religiosorum supremi moderatores, et piorum coetuum antistites, quin etiam Episcopi, aliique proceres sacrae, vel civilis reipublicae, ad praepositum nostrae pro-

vinciae litteras dedere, quibus casus acerbitatem, quem Societas Iesu passa esset, vehementer indoluerunt. Cives taurinenses, ut par erat, Franco, populari suo, multa honoris testimonia praebuerunt. Hos inter Aloisius Nasius, templi principis canonicus et orator egregius, nuncio audito, exclamasse dicitur: « Tanto viro nullum par elogium ».

Qui cives, magis pietatis suae studio permoti, quam nostrorum sodalium voluntati obsecuti, Franco sollemni pompa parentandum existimarunt. Itaque, auspice Ioanne Gianonbello templi Sanctorum Martyrum delegato curiali et sacrae theologiae doctore, duobus post mensibus quam sodales nostri ritu modestiore Franco iusta persolverant, apparatissimum ei funus in eodem templo instauravere. Textilibus albis, nigris, flavisque et laciniis argenteis, aureisque, aedem amplissimam ab summo ad imum quaquaversus exornarunt; ingentem in medio molem funeream extulerunt, et piae Sodalitatis Salesianae phonasco et cantoribus peritissimis adhibitis, aevi sempiterni beatitatem eidem sunt adprecati. P. Lucas Turbiglius, Franciscalis O. M., aedis Sancti Thomae curio maximus, magnis honoribus apud suos perfunctus, ritu sollemniore rem divinam fecit, adstante Basilio Leto, Episcopo titulari Samaritanorum, qui olim infulis bugellensibus honestatus incesserat. Idem Episcopus absolutiones ad pegma funebre aqua lustrali sub exitum impertivit. Praeterea eloquentissimus orator designatus fuerat, qui Franci supremas laudes pro suggestu ad populum pronunciaret. Porro nostris moderatoribus, ob temporum adiuncta, ratio non est visa, cur laudatio pro concione haberetur.

Tum vero Carolus Melanotte, templi Sanctissimae Trinitatis canonicus honorarius, et litterarum doctor cum paucis comparandus, Franci elogium conscripsit, ediditque, et Christifidelibus templum introeuntibusdis tribuendum curavit. Quo elogio viri res gestas egregie admodum est persecutus, et tanti civis memoriam dignissimam iudicavit, quam Taurinenses perpetuo colerent, et vel marmore caelarent. Idem doctor complures inscriptiones ad Franci honorem venustissime concinnavit, quae templi fores et columnas pulcre adornarent. Hinc etiam est effectum, ut integer sacrae aedis apparatus formam speciosissimam prae

se ferret. Maxima civium omnigenum frequentia, piorum hominum et mulierum coetus, suis quisque insignibus et vexillis maxime conspiciendi, et Cleri utriusque corona plurima adstabat (2).

En tibi inscriptiones:

ALLA CARA E SANTA MEMORIA
DEL VENERANDO
PADRE SECONDO FRANCO
DELLA COMPAGNIA DI GESÙ
CHIAMATO ALLA RICOMPENSA DEI GIUSTI
NELLA NATIVA TORINO
DOVE CON LODE ESORDÌ SANTAMENTE CHIUSE
CINQUANT'ANNI D'APOSTOLATO
PER TUTTA ITALIA E FUORI
CORAGGIOSAMENTE OPPONENDO
AI DELIRII DEL SECOLO LA VERITÀ DEL VANGELO
CON TAL VIRTÙ D'ELOQUIO E DI DOTTRINA
CHE NE ETERNA IL NOME E GLI SCRITTI

SARÀ NARRATO
OVE È STIMOLO IL PLAUSO
DI GENEROSE IMPRESE
L'UOMO APOSTOLICO
IN MEZZO A NOI VISSUTO

FULMINE AVEA LO SGUARDO
TUONO LA PAROLA
AI GENEROSI CONFORTO
AGLI ERRANTI
SALUTARE AVVISO

DI QUANTI SI PIANSERO
ALL'INFOCATA PAROLA
INNUMEREVOLI RACCONSOLÒ
MINISTRO DI PACE E DI PERDONO
D'UN DIO CROCIFISSO

DECRETO VOLLE DEL CIELO
CHE LA CITTÀ DEL SACRAMENTO
FOSSE CULLA E PALESTRA
ALL'APOSTOLO ELETTO
DEL SACRO CUORE DI GESÙ

DIO L'AVEA FORMATO
D'ELETTISSIME DOTI
CORRISPOSE MAGNANIMO
NEL SODALIZIO
DEI CAMPIONI DI CRISTO

COLTIVÒ COLLA PREGHIERA
LA FEDE NEL VERO
E NELL'ARDUE PROVE
NE SOSTENNE IMPERTERRITO
LE RAGIONI

DI RADO INCONTRÒ
SÌ NOBILE CORAGGIO
TEMPERATO MANSUETO
ONDE UOMO DI DIO
GRAN COSE OPERAVA

PER OGNI ATTO
SPECCHIAVA IL SACERDOTE
CUI SOLO PREME
L'ONOR DI DIO
LA SALUTE DELLE ANIME

OPERA EDITA

Quae sunt praecipua, ab ipso auctore collecta, recognita, aucta, et ipso curante, edita sunt Mutinae, typis Immaculatae Conceptionis. Haec omnia in fronte aversa postremi voluminis, editi anno MDCCCIC, ita efferuntur ac numerantur:

1° e 2° Vol. I. e Vol. II. *Risposte popolari alle obbiezioni più comuni contro la religione.*

Opera tradotta in quasi tutte le lingue d'Europa. (Sulla fine del Vol. II si trova un'Appendice sull'*Infallibilità Pontificia*) 7ª Ediz. italiana, pagg. 660, 721, 8°.

3° Vol. III. *Istruzione ai Padri e Madri di famiglia intorno al modo di allevare cristianamente la prole.* 6ª Ediz. con nuove cure dell'autore ed un'Appendice intorno ai *doveri dei Padroni verso dei Servi.* — *Lettere ad alcune signore intorno ad alcuni errori moderni.* 4ª Ediz. riveduta ed ampliata, pagg. complessive 664.

4° Vol. IV. PARTE 1ª *Della Divozione al S. Cuore di Gesù e delle sue eccellenze.* 8ª Ediz. accresciuta di sette nuovi capi. *Il mese di Giugno consacrato al S. Cuore di Gesù.* 3ª Ediz., pagg. compless. 658.

5° (item) PARTE 2ª *Il mese di Maggio consacrato alla SS. Vergine.* 5ª Ediz. riveduta. *Il S. Cuore di Maria, considerazioni che posson servire anche per un intero mese.* Opera inedita. Pagg. complessive 406.

6° Vol. V. *Delle Veglie e degli Amoreggiamenti nelle Campagne* 5ª Ediz. italiana con nuove cure dell'autore. *La scuola dei delitti, aperta nelle osterie.* 4ª Ediz. riveduta. *La guerra mossa alla Divinità nei tempi presenti, ossia della bestemmia orale e scritta.* Opera inedita, pagg. 536 complessive.

7° Vol. VI. *Errori del Protestantesimo svelati al popolo.* 8ª Ediz. riveduta e coll'aggiunta di nuovi capitoli. *Catechismo ragionato intorno al Concilio Ecumenico.* 2ª Ediz. *Che cosa sono i Gesuiti.* 2ª Ediz. pagine complessive 580.

8° Vol. VII. *Sermoni per far meglio conoscere ed amare N. S. Gesù Cristo.* Opera inedita, pagg. 554.

9° Vol. VIII. *Le vie della perfezione; trattato cavato da uno scritto di S. Caterina da Siena.* Opera inedita. *Ritiramento mensile proposto alle signore.* 2ª Ediz. pagg. 596.

10° Vol. IX. *Prediche morali e apologetiche,* inedite Vol. I, pp. 560.
11° Vol. X. » » » Vol. II, pp. 608.
12° Vol. XI. » » » Vol. III, pp. 716.
13° Vol. XII. » » » Vol. IV, pp. 736.

14° Vol. XIII. *Il soprannaturale, ossia le ricchezze interiori del Cristiano,* pagg. 524.

15° Vol. XIV. *Prediche morali e apologetiche.* Vol. V, pp. 812.
16° Vol. XV. *Del Paradiso.* Trattato, pp. 432.
17° Vol. XVI. *Conferenze.* Vol. I. *Divinità del Cristianesimo.* pp. 676.
18° Vol. XVII. » Vol. II. ed ult. *Il Protestantesimo.* pp. 548.
19° Vol. XVIII. *Sermoni per varie feste dell'anno.* Vol. I. pp. 552.
20° Vol. XIX. » » » Vol. II. pp. 684.
21° Vol. XX. *Esercizi spirituali di S. Ignazio di Loiola.* Vol. I.
22° Vol. XXI. » » » » Vol. II.

23° Vol. XXII. *Istruzione per le religiose nel tempo degli esercizi,* pagg. 224.

Volumen, quod sub numero 23° continetur, typis excusum est post obitum auctoris a P. Aloisio Sammarzano. Duo volumina proxime antecedentia evulgata quidem sunt paullo post auctoris obitum; tamen editionem taurinensem auctor antea curaverat.

Superest, ut opera Franci recenseamus, quae idem Mutinae, vel alibi antea ediderat, neque tamen typis mutinensibus una cum operibus antecedentibus iterum vulgare potuit, morte interceptus. Haec itaque sunt:

1° *Manuale dei divoti del SS. Cuore di Gesù, compilato dal P. Secondo Franco d. C. d. G.* Firenze, Luigi Manuelli, 1856, pp. x-582. Pluries est editum, ac germanice, hispanice et gallice translatum.

2° *Il Romano Pontefice. Ragionamenti due del P. Secondo Franco d. C. d. G. recitati in Verona etc.* Verona 1860.
Ter editi eodem anno MDCCCLX.

3° *Alle Considerazioni fatte da un Sacerdote Trentino intorno ad una lettera pastorale di S. A. R. il principe Vescovo di Trento. Appunti.* Verona, Giuseppe Civelli, 1863.

4° *Ricordi alle Dame Veneziane per mantenere il frutto degli Esercizi Spirituali etc.* Venezia, 1865, Tip. Emiliana.

5° *Il Giubileo pel Concilio Vaticano. Istruzioni e preghiere.* Torino, Marietti, 1869, 12°, pp. 56.

6° *La Passione e Risurrezione di N. S. Gesù Cristo, esposte in meditazioni dal P. Vincenzo Bruno d. C. d. G. (Riveduto e corretto).* Venezia, tip. Emiliana, 1876, 16°, pp. 323.

7° *Regolamento di vita cristiana, proposto dal P. Secondo Franco d. C. d. G.* 6ª edizione. Firenze, Manuelli, 1881, 26°, pp. 323.

Hanc editionem, quae ceteris longe praestat, curavit Ioannes Iosephus Francus, Secundi frater natu minimus.

8° *Il Clero ed il S. Cuore di Gesù. Trattatello del P. Secondo Franco d. C. d. G.* Torino, tip. Giulio Speirani, 1888, 16°, pp. VII-534.

9° *Meditazioni per tutto l'anno... del P. Dario Tamburelli d. C. d. G., rivedute dal P. Secondo Franco d. M. C.* Torino, P. Marietti, 1888, 16°, pp. VIII-543.

10° *Ricordi lasciati alle signore in occasione degli Esercizi Spirituali.* Torino, Speirani, 1890, 16°, pp. 64.

11° *Breve corso di Esercizi Spirituali.* Roma 1891, 12°, pp. 207.

12° *Ad una Superiora Religiosa intorno ad un recente decreto Pontificio. Lettera.* Torino, Speirani 1891, 16°, pp. 135.
Gallice et germanice versa est.

13° *Istruzioni pel tempo degli Esercizi ai Sacerdoti.* Torino, Tip. di S. Giuseppe del collegio degli Artigianelli, 1894, 8°, pp. 304.

14° *Catechismo pratico intorno al decreto Pontificio del 17 dicembre 1890 pel sacerdote Teologo A. B.*, Monza, tip. dei Paolini, 1892, 17°, pp. 52. Haec opella recensetur a Sommervogelio, quod Francus fortasse eam recognovit.

15° Bagnati Simone. *Apparato Eucaristico, cioè Meditazioni di apparecchio alla Comunione nelle feste principali dell'anno.* Torino, tip. C. Favale e Comp. 1869, 16°, pp. 340. Edizione curata dal P. Secondo Franco S. I.

16° Carmen phaleucium, a Franco confectum, reperitur in opella, cui titulus *Isaïae Carminalii S. I. Auditorum Cheriensium Carmina Sacra. Edidit Salvator Casagrandius ex eadem Societate.* Excudit Augustae Taurinorum Vincentius Bona, Regis Italiae Officinator Librarius anno CIↃ IↃCCC XCVIII.

NOTAE

(1) Vide in pag. 192 qua ratione Bayma Franco se adiunxerit.

(2) Quae de Franco narravimus, maximam partem deprompsimus ex ephemeridibus *La Civiltà Cattolica* Serie XV, vol. VIII, p. 625; ex litteris provinciae taurinensis (ann. 1893-1896); ex opella Petri Galletti, quae inscribitur *Memorie storiche intorno al P. Luigi Ricasoli e alla Compagnia di Gesù in Toscana;* et ex notitiis, quas accepimus ab eius vel sodalibus, vel civibus.

P. Ioannes-Iosephus Franco, Secundi frater, totum commentarium recognovit, probavitque.

CAMILLVS MELLA ARBORIO

XXVIII.

CAMILLVS MELLA-ARBORIVS

Nullam de hoc viro memoriam litteris consignatam inveni, praeter eam, quam in *Bibliotheca (Scriptorum) Soc. Iesu* brevissimam legi. Nihilo tamen secius est dignus omnino, qui inter probabiles Societatis nostrae scriptores adcenseatur. Quippe eruditissimus fuit, et de re, tum litteraria, tum religiosa, egregie meritus. Vercellis nobili genere est ortus, anno christiano MDCCCXXVIII, et in Collegio-Convictu Gallarinio Novariensi litteris operam dedit. Quum paene adhuc puer a patre postulavisset, ut Societatis nostrae amplectendae sibi facultatem faceret, « Faciam, inquit pater, si primas in litteris perpetuo tuleris ». Adolescens, id cum praestitisset, voti compos Cherium devenit, et claras avorum aedes humili cella commutavit, anno aetatis suae decimo quinto. Ibidem ab Aloisio Bado, praeceptore clarissimo, litteris politioribus, quarum cupidissimus erat, biennium iterum est eruditus. Philosophos audivit Camberii, et theologiae curriculum est adgressus Vercellis apud suos privato studio. Hoc etiam tempore nostris sodalibus iniquissimo, quod scilicet a suis quisque domibus et collegiis expulsi essent, ad sacerdotium evectus est. Sub exitum anni MDCCCL, Lavallium in Galliam est arcessitus, ibique ad tres annos constitit, dum videlicet studia theologica rite conficeret.

Quibus confectis, in Italiam est revocatus et Derthonae in

sacro ephebeo minore magister fuit. Anno insequenti Massam-Ducis in nostrum collegium accitus, humanitatem, quam vocant, dein rhetoricam docuit, atque in litteris italicis, quin etiam in gallicis explanandis, maxime enituit. Nam hac in urbe litteras gallicas publice tradidit magna cum laude, et optima scriptorum gallorum tum solutae, tum adstrictae orationis exemplaria, in bonum adolescentium italorum, apte et copiose collegit et publici iuris fecit. In his provide cavit, ne quid esset, quod bene moratae puerorum institutioni officeret; quin ea potissimum recensuit, quae ad virtutem magnopere conducunt; atque haec omnia plurimis pro re nata animadversionibus illustravit. Triennio elapso, Romam profectus, alterum pietatis tirocinium, uti assolet, per annum ad S. Eusebii instauravit; dein Massam-Ducis est regressus, ut iterum rhetoricae praecepta eodem in collegio adolescentibus dilucidaret.

Anno postero, qui fuit octingentesimus undesexagesimus supra millesimum, quum tota Italia maximo bello conflagraret, et in potestatem Subalpinorum ditio mutinensis iam esset redacta, Mella hinc expulsus, Andriam, in urbem regionis neapolitanae, devenit, et eandem disciplinam in collegio nostro profiteri coepit. Per idem fere tempus, Torquati Tassi poema, quod inscribitur *La Gerusalemme Liberata,* commentario eruditissimo locupletavit ediditque, qui eo vivo, pluries tota Italia est recusus, et singulari laude a viris litteratis, praesertim a scriptoribus ephemeridum, quibus est titulus *La Civiltà Cattolica*, donatus est. Iure etiam ac merito iidem scriptores Mellae modestiam ac demissionem collaudarunt; quandoquidem operi, totius reipublicae litterariae consensione probando, nomen suum non praeposuisset. Nam interdum viri docti studio laudis ducuntur, et celebritati facile inserviunt. Quum Subalpini regno neapolitano essent potiti, Mella ab Andriae collegio cum suis sodalibus eiectus, in dioecesim derthonensem se recepit, et in minori ephebeo, sacrorum alumnos septem solidos annos ad artem rhetoricam egregie informavit. Postmodum Vercellas in patriam urbem se contulit, et in sacro ephebeo magisterium pietatis obiit. Munere etiam concionatoris saepissime est functus, et Sorores, quas a Caritate appellant, moderatoris officio, ad religionem

instituit. Serius Augustae Taurinorum praefuit sodalitatibus, quibus a Sancto Paulo et a Sancta Ursula nomen est inditum, et puellas opifices ad pietatem excoluit. Praeterea Henrico Vasco, Societatis nostrae sodali, in ephemeridibus redigendis, quae inscribebantur *L'emporio popolare,* consilio plurimae fuit utilitati. Nec illud silentio est tegendum, Mellam, utpote virum litterarum usu limatum, et fama notissimum, Monoecum ad oram ligurem, exeunte anno MDCCCLXXVI, a suis moderatoribus accitum esse, ut scholarum collegii, cui nomen a Virgine hospita, praefecturam gereret. Iamque collegii magistri et alumni ingentem laetitiam animo praeceperant, quum nonnulli sodales, fortasse veriti, ne hac de causa eius vires ab operibus conscribendis, quibus mentem admoverat, nimium distraherentur, Mellae profectionem interpellaverunt.

Enimvero, ab anno MDCCCLXI ad annum MDCCCLXXVIII, Mella, praeter labores quos supra memoravimus, alios etiam, eosque gravissimos, explendos suscepit. Nam insudavit et alsit, ut documentis ostenderet, praeclarissimum illud opus, cui titulus *De Imitatione Christi* a Ioanne Gersenio Caballiacensi, Sancti Stephani Vercellarum abbate, confectum esse. Hoc consilio, dissertationes oppido eruditas conscripsit, et in ephemeridibus *La Civiltà Cattolica* edendas curavit. Easdem postea singulari inclusit libello ac denuo invulgavit, tanta felicitate, ut a viris doctis magno in pretio sint habitae, et quaestionem vetustissimam acerrimamque penitus dirimere visae sint. At vero, ut in huiusmodi controversiis accidere consuevit, quae, post infinitas disceptationes ultro citroque habitas, uti antea, ita postea maneant in ancipiti, alia a Germaniae viris litteratis documenta in medium sunt prolata, quae Mellae opinionem infirmare, quin etiam evertere viderentur. Quam ob rem huius quaestionis plena fides adhuc penes auctores manet. Idem Mella Caballiacensibus auctor, vel suasor fuisse dicitur, ut Ioanni Gersenio, populari suo, marmoreum monumentum ponerent. Id autem magna pompa religiosa et civili est effectum, anno a Christo nato M DCCC LXXIV.

Ad haec opera aliud praestabilius accessit. Scripta Sanctae Teresiae, matris legiferae a Natali Santinio Societatis Iesu, in italicum sermonem translata, supplere, perque eruditis et perpetuis

annotationibus et omnigenis additamentis illustrare ac typis committere instituit. Postea, meliore usus consilio, ut integrae versioni idem color inesset, eadem scripta suo ipse marte in eundem sermonem vertere coepit. At enim, quum in hoc tam arduo ac diuturno munere absolvendo nervos supra vires intenderet, in morbum incidit immedicabilem, quo, cum iam sibi amplius non constaret, ultra progredi est prohibitus. Casus acerbitatem viri docti et religiosi, quibus sacrarum litterarum commodum et decus cordi essent, plurimum indoluerunt; praesertim quum priora volumina, a Mella evulgata, accuratissima censerentur. Tamen est fatendum versionis elocutionem satis sua sponte non fluere, ut opera S. Teresiae, quae stili simplicitate maxime praestant, postulare viderentur. Aloisius Merea interceptam versionem, tribus additis voluminibus, feliciter admodum supplevit. Mella diem suum obiit Raconixii in Taurinatibus anno MDCCCXCIV.

OPERA EDITA

1° *Saggi di varia letteratura francese dalle sue origini fino ai dì nostri raccolti e ordinati a studio e diletto della gioventù religiosamente educata dal P. Camillo Mella d. C. d. G.* Torino, Speirani e Tortone, 1858, in 8°, pp. 528.
Opus quinquies est editum.

2° *La Gerusalemme Liberata di Torquato Tasso illustrata in ordine alla critica letteraria e storica ad uso della gioventù studiosa da un Vercellese (P. Camillo Mella). Ristampa stereotipa.* Torino, per Giacinto Marietti, Tipografo-libraio, 1861, 16°, pp. CCXV-624.

Ut adolescentium pudori consultum iret, poëma Tassi expurgavit P. Maximilianus Ryllus S. I., polonus, italici sermonis scientissimus, qui hanc provinciam sua sponte suscepit. Id autem ab ipso Ryllo relatum accepimus.

3° *Opere di S. Teresa per la prima volta fatte integralmente italiane col presidio dei manoscritti originali con note ed illustrazioni del P. Camillo Mella d. C. d. G.* Modena, Tipografia Pontificia ed Arcivescovile dell'Immacolata Concezione editrice (anno 1884).

Vol. I. *Preliminari. Della vita e delle opere di Francesco de Ribera d. C. d. G.* (pp. X). — *Indice analitico del commentario dell'Opera e delle illustrazioni* pag. XLVIII-836 *con l'effigie autentica della Santa, eseguita in cromolitografia.*

Primum volumen editum est anno MDCCCLXXVI post volumen III.

Vol. II. *Istoria della propria vita di S. Teresa. — Addizioni alla stessa. — Indice biografico e notizie di tutte le persone nominate nell'Opera,* pp. XXVIII-760 *col ritratto della Santa tratto dal vero.....* anno MDCCCLXXI.
De versione huius vitae videsis quae supra notavi in Santinii elogio.

Vol. III. *Storia delle fondazioni fatte dalla Santa. — Addizioni alla stessa. — Indice analitico dell'Opera e delle illustrazioni di essa,* pp. XVI-594, *con la carta dei viaggi e delle fondazioni della Santa.* A. MDCCCLXXIV.

Vol. IV *Opere Ascetiche di S. Teresa. — Disegno generale. — Ordinamento. — Notizie sulla via di perfezione. — Via della perfezione. — Notizia sul Castello interiore. — Il Castello interiore. — Indice analitico dell'Opera e delle illustrazioni di essa* pp. XXVIII-584 *colla duplice fotografia dal vero, del cuore della Santa...* anno MDCCCLXXVIII.

Volumina V, VI, VII continent versionem epistolarum et operum minorum Sanctae Teresiae. Versio auctorem habet P. Aloisium Meream S. I. Consule quae de versione carminum S. Teresiae scripsimus in Mereae elogio, pag. 171.

4° *Almanacco della gioventù per l'anno 1872 del P. Camillo Mella-Arborio.* Modena. Tip. dell'Immac. Concez. editrice, 16°, pp. XXIV-384.

5° *Manuale della giovinetta.* Ibid. id. MDCCCLXXIV.

6° *Della controversia Gerseniana. Notizia illustrativa.* Prato, Giachetti, 1875.

7° *Lo Zuavo di Dio, arrolandosi con insigne esempio di coraggio alla sacra milizia l'egregio giovane Sig. Adolfo Blanchet, l'anno 1875* (Sonetto) 18°, p. 1 Aosta, tipografia G. B. Mansio.

8° *Della Imitazione di Cristo, libri quattro del Ven. uomo di Dio Giovanni Gersen, abbate dei Benedettini di S. Stefano in Vercelli, secondo l'antico volgarizzamento toscano, testo di lingua, per cura d'un Vercellese (P. Camillo Mella).* Torino, tipografia e libreria dell'Oratorio di S. Francesco di Sales, 1875, 16°, pp. 269.

9° *S. Eusebio di Vercelli. Commentario storico di Sebastiano de Tillemont, tradotto e annotato dal sacerdote D. Giovanni Maria China, Abbate Eusebiano.* Vercelli, stab. tipogr.-litogr. Guidetti e Perotti, 1874.

Opem auctori P. Mella plurimam tulit. Hoc equidem rescivi ab iis ipsis, quibus Mella operis exemplar muneri misit. Fortasse Mella annotationes suppeditavit.

Ex tabulario prov. Taur. S. I., et ex privatis relationibus, tum eius sodalium, tum civium, ea deprompsimus, quae de Mella narravimus.

IOSEPHVS OREGLIA A S. STEPHANO

XXIX.

IOSEPHVS OREGLIA A S. STEPHANO

Augustae Bagiennorum a S. Stephani dynastis ortum habuit, anno reparatae salutis MDCCCXXIII. A prima aetatula, ea morum integritate florere coepit, ut a sacerdote, qui eum domi ad religionem et litteras instituebat, suis fratribus in exemplum proponeretur. Taurini, in Collegio-Convictu Nobilium, disciplinis liberalibus navam operam dedit una cum Aloisio et Friderico fratribus; quorum primus, ob eximias animi dotes, in sacrum purpuratorum Patrum Collegium deinceps est relatus. In regio athenaeo taurinensi, iuris utriusque curriculum multa cum laude persolvit: neque tamen laurea donari voluit; quandoquidem in eo iam esset, ut honoribus valediceret. Enimvero, huius disciplinae periculo egregie facto, quo facilius a mundi illecebris, quae plerosque mortalium irretire consueverunt, sese incolumem praestaret, atque humilem ac pauperem Iesum pone sequeretur, brevi post tempore, quamquam natu maximus, splendidum a proavis genus non habuit pensi, et Cherium ad nostram Societatem, aetatis anno vicesimo, convolare non dubitavit. Incredibili eum laetitia nostri sodales exceperunt. Noverant enim quantum iamtum, non modo ingenio et doctrina, sed etiam pietate ac moribus valeret; et quam libenter studio animum intenderet, ut vel saepissime lusibus abstineret, quo litteris vacaret. Hoc motus exemplo, Fridericus frater serius in eandem Societatem

transcribi voluit, idemque praestiterat Aloisius, qui valetudine est impeditus quominus diutius voti compos existeret.

Itaque Oreglia, quum annum integrum validiore nisu ad religiosas virtutes sectandas sese comparasset, nondum tirocinio pietatis posito, litteras politiores, Montanario et Paria praeceptoribus clarissimis usus, anno insequenti recoluit. Dein Massam-Ducis est missus; ibique in collegio nostro scholis inferioribus, vicario munere, praefuit. Hinc Nicaeam profectus, litteras venustiores explanavit; easdemque postmodum etiam Taurini quum tradidisset, Sassarim in Sardiniam se contulit, ut rhetoricam profiteretur. Porro, anno MDCCCXLVIII, sodalibus nostris a suis sedibus exturbatis, apud Raimundum De Quesada Marchionem Sancti Saturnini, eadem in insula, aliquamdiu delituit.

Subinde in continentes terras mentita veste se traiecit, Taurinum devenit, ibique, egregia virtutis testimonia perhibuit. Nam florenti aetate, decora specie, adeo ut generis nobilitatem vultu prae se ferret et omnium oculos facile ad se converteret, media in urbe, asperrimis temporibus, est versatus, atque eam fidem, quam Societati nostrae pollicitus erat, perpetuam praestitit. Quin etiam, magni animi adolescens, nil sibi timens, iis saluti esse studuit, qui nostris sodalibus perniciem paraverant. Quum enim in Vincentium Giobertium incidisset, qui, ob rem publicam male gestam, supremo magistratu abdicato, per medium populum undique strepentem, incerto pede domum se reciperet, ad hominem extemplo convolavit, eius brachio brachium implicuit, eumque haud breve viae spatium est comitatus, identidem inclamans « Io Gioberti! ». Quo facinore nil sane praestabilius. Virum enim Oreglia domum deduxit, cuius etiam causa Societas nostra a suis domibus expulsa fuerat.

Post haec Dolam, Gallorum in urbem, est missus, ut sacrae theologiae studia auspicaretur. Tum vero maxime est intellectum, quanta litterarum et scientiarum sementi, quam iecerat, seges responderet, quum, anno nimirum MDCCCL ineunte, Neapolim est accitus a scriptoribus ephemeridum, quae, a *Civilitate Catholica* sibi nomine facto, tum primum in lucem prodiere. Nam, quamquam viginti septem annos minor natus, neque theologiae cursum plane emensus, nequedum sacerdotio insignitus,

in eorundem collegium est cooptatus, primo conventui, qui est habitus, iussus est interesse, sententiamque, una cum viris doctissimis ac gravissimis, quos inter Liberatorius, Brescianius, Pellicus et Taparellius, modeste quidem, at pulcre et accomodate tulit suam. Chronica rediqendi munus ei obtigit; idque alacriter amplexus, naviter biennium est prosecutus. Nam subinde in Galliam ipsi redeundum fuit, ut theologiae stadium conficeret, et sacerdotium iniret.

Equidem scio nonnullos fuisse qui Oregliam nondum plane noscerent, et hac de causa his muneribus atque honoribus imparem iudicarent; eiusque cooptationem in collegium ephemeridum, utpote immaturam, minime probandam existimarent. At enim P. Franciscus Pellicus, qui provinciae Taurinensis praefecturam gessisset, et adolescentis virtutem iamdiu exploratam haberet, aliter de eo perpetuo sensit. Quapropter Oreglia vixdum theologiam explevit et sacerdos inauguratus est, Romam est revocatus, ut inter eosdem scriptores iterum ingenii operam conferret; apud quos, partim hac in urbe, partim Florentiae, ad quadraginta amplius annos est commoratus.

Arduum est paucis complecti quam multa in rei christianae commodum conscripserit. Cum omnigenis catholici nominis hostibus strenue est conflictatus, et *Franco-Murariorum* primordia, instituta, leges, dolos, fanda nefandaque omnia in reges, in summos Pontifices et in universam christianam rempublicam, quam funditus pessumdare, praesertim hac nostra tempestate, pro viribus sunt conati, in lucem eduxit; et rerum testimonia ob omnium oculos posuit, quae nemo sanus infitias ivit. Idem in illos homines praestitit, quos Liberales vocant, quod nimirum libertati plus aequo studeant faveantque, a quibus praecipuae Europae ephemerides conscribebantur. Hi enim, cum *Franco-Murariis* societate inita, recentiorum temporum subversiones, tum civiles, tum religiosas, quarum auctores exstiterant, acerrime tuebantur; et novas in dies immutationes excogitabant, quarum opera humanae societatis fundamenta radicitus evellantur, et hominum genus, iam in peius lapsum, in deterius ruat. Hos etiam Oreglia adeo est insectatus, ut ad incitas saepe redegerit, nec illorum quisquam contra eum palam mutire iam amplius

ausus fuerit. Item partem habuit praecipuam in opere conscribendo contra Liveranium, qui sacerdos ad hoc genus hominum accesserat; at postea, recantatis erroribus, ad sanitatem rediit.

Praeterea Oreglia de Cabala, seu Philosophia cabalistica, a qua omnes *Franco-Murariorum* errores, veluti a radicibus, prognatos putaret, et de Ioanne Pico Mirandulano, viro clarissimo, qui hanc ipsam primus omnium egregie est interpretatus, memoriam historico-criticam eruditissimam exaravit, ut, omnium opinione, monumentum sibi aere perennius exegerit. Aliud opus praeterea evulgavit contra sectam Iudaicam, cuius nefarios ritus et crudelissima in Christi asseclas facinora detexit. De qua secta alterum postremo opus copiosissimum est aggressus, quo eius perfidiam, odia, insectationes, tumultus et clandestina bella in Christi Ecclesiam, a remotissimis aetatibus ad nostram memoriam, ubique gentium, vel patrata, vel parata, fusius persequi instituit. At enim male affecta valetudine est impeditus, quominus inceptum perficeret. Quarum rerum omnium notitiam non modo, sed scientiam se habere ostendit. Nam ex effectibus causas, et vicissim ex causis effectus saepissime coniecit. Narrationem eo eloquio atque attico sale condivit, ut viri etiam nostrae Societati infensi, eius stilo summopere delectarentur, eumque nonnunquam plurima laude in caelum efferrent. Hos inter exstitit Petrus Sbarbarus, qui insuper aperte fateri minime est veritus, scriptores ephemeridum, quibus titulus *La Civiltà Cattolica,* naris magis emunctae esse homines, quam illi ipsi, quibus a liberalitate fit nomen; siquidem sectam Iudaicam et *Franco-Murariam* penitius dignoscant, et quid utraque sibi velit clarius introspiciant.

Itaque Oreglia quum sodalibus tanto esset adiumento et decori, earundem ephemeridum moderator est creatus. Illud etiam in eius laudibus est ponendum, quod Collegii bibliothecae uti conditor, et paene ad vitae exitum praefectus fuit. Hanc plurimis libris, praesertim antiquioribus, in quibus magis se amabat, ditavit, exornavitque. Lento demum tentatus morbo, adeo ut sensim, tum corporis, tum mentis vigor deficeret, Cherium in Taurinos ad vires reficiendas se recepit; at ibi naturae debitum persolvit, aetatis anno septuagesimo altero, a solemni quattuor votorum professione sexto tricesimo.

Vitae integritas, in officio sedulitas, intemerata in Deum religio, oris modestia, animi demissio, comitas, urbanitas et caritas, qua omne genus homines complectebatur, ut eos nempe aut inopia levaret, aut ad virtutem alliceret, magis quam claritudo generis et multiplex rerum cognitio, benevolentiam ei omniumque existimationem comparaverunt. Itaque Oregliae memoriam nulla unquam delebit oblivio.

OPERA EDITA

1° *Il Papato e l'Impero e il Regno d'Italia.* Memoria di Francesco Liverani esaminata e confutata. Roma, coi tipi della *Civiltà Cattolica.* 1861, 8°, pp. XIX-410.

Auctor praecipuus huius operis fuit P. Iosephus Oreglia, cui auxilio fuere P. Iosephus Brunengus et P. Carolus Piccirillus.

2° *La Questione Giudaica al secolo XIX.* Napoli, tip. Ruggiano, 1893, 32°, pp. 132.

Hoc opus partim excusum est in ephemeridibus *La Civiltà Cattolica.*

3° *Giovanni Pico della Mirandola e la Cabala.* Studio storico-critico. Mirandola, tip. Cagarelli, 1894, 4°, pp. 70.

4° *Cronaca contemporanea. Civiltà Cattolica.* Napoli, Roma, anni 1850-1852.

Haec Oregliae opera recensentur in *Bibliotheca (Scriptorum) S. I.* Sunt tamen alia, edita ab eo, videlicet:

5° *Statuti Generali ed altri documenti dei Framassoni.* Roma, Befani, 1874, 16°, pp. XXIII-294.

6° *Rituali massoni del primo e del trentesimo grado.* Roma, Chiapperini, 1874, 16°, pp. XIV-170.

Opus postremum a magno opere est excerptum, quod Oreglia in ephemeridibus *La Civiltà Cattolica* vulgavit sub titulo *Corrispondenza da Roma a Firenze* (annis 1871-1883).

7° Plurimas dissertationes et recognitiones evulgavit in memoratis ephemeridibus ab anno 1854 ad annum 1871. En tibi earum ex ordine argumenta:

DISSERTATIONES *(Articoli e note).*

Serie I. — Nuove risposte a vecchi censori del Governo Pontificio. Vol. VI, pag. 272, 417.

Serie II. — L'opportunità della S. Congregazione dell'Indice. IV, 352, 685.

Serie III. — La « Rivista contemporanea ». IV, 691.

Serie IV. — Le riforme in Francia. VII, 545, 675.

Il gran principio del non intervento. VIII, 277.

Sofismi e sarcasmi del Principe Napoleone nel suo discorso al Senato (1 marzo 1861). X, 585.

Sopra la nota del barone Ricasoli del 24 agosto 1861. XI, 681.

Serie V. — Un po' di carità, ossia i liberali mendicanti. I, 27.

Il Sommo Pontefice Pio IX e la Rivoluzione italiana. I, 641,

Aspettiamo gli avvenimenti. Risposta al discorso del Sig. Billault. II, 55.

I Don Ferranti, ossia i moderni avvocati della peste. II, 257.

I ladri della Chiesa ed un ex-ministro di Polizia. Risposta ad un opuscolo. II, 550.

I liberali a Roma alla fine del 1863. VIII, 676.

Il diavolo e i liberali. IX, 555.

I liberali, le loro promesse e la loro tolleranza. X, 37, 290.

Ci siamo! X, 513.

Il denaro di S. Pietro spavento dei tristi, conforto dei buoni. X, 641.

I frammassoni in Italia. XI, 129.

La santa alleanza e i liberali italiani. XI, 257.

Lo statuto dei frammassoni. XI, 513.

La convenzione. Dialogo di Torino e di Roma. XII, 289.

Le speranze della vera Italia nel trasporto della Capitale. XII, 641.

Serie VI. — I casi di Torino. I, 513.

La frammassoneria e l'abolizione della pena di morte. II, 385.

Il trasporto della Capitale. Dialogo. II, 690.

Ricognizione e componimento del Regno d'Italia. III, 385.

Le elezioni del 1865. IV, 513.

Il Natoli e i suoi fini occulti nella guerra contro i Seminari. V, 21.

Il giornalismo in Italia. V, 257.

Il programma della Sinistra. V, 385.

Lettera di un dabben frammassone triestino. V, 513.

Il consorzio nazionale. VI, 16.

Il partito del buon senso. Pensieri di un deputabile. VI, 129.

Lettera della *Civiltà Cattolica* al dabben frammassone triestino. VI, 322.

La guerra. Fremiti e tremiti del *Diritto,* giornale della Democrazia italiana. VI, 385.

I Frati e i volontarii. VII, 17.

Dell'utilità pratica dei Parlamenti ed altrettali arnesi costituzionali. VII, 257.
L'Italia va maturando. VII, 573.
Di tre fratelli politici: il truffatore, il brigante e il conservatore. VIII, 5.
La lupa liberale. VIII, 172.
Qual sia, secondo la *Nazione* di Firenze, la vera idea e l'essenza di un governo liberale. VIII, 257.
Avvedimenti prudenziali ad uso degli esercenti il mestiere di scrittori di lettere anonime. VIII, 540.
Delle elezioni politiche a proposito di un articolo degli *Annali Cattolici* del 1866. VIII, 653.
Tranquillità di Roma e sue cagioni. IX, 257.
L'Italia e Roma. IX, 513.
Gl'impicci del Governo italiano. X, 41, 257.
Gli scioperi internazionali. X, 530.
Roma e Firenze nel centenario di S. Pietro. XI, 5.
Il centenario di S. Pietro e i liberali. XI, 305.
I presenti pericoli di Roma e dell'Italia. XI, 641.
La vitalità del Regno d'Italia. XII, 257.
La vittoria di Roma papale. XII, 525.
Alcuni frutti della recente vittoria di Roma papale. XII, 641.

Serie VII. — I pericoli dell'Italia e l'aiuto dei Cattolici. I, 385.
La lettera ai suoi elettori del generale La Marmora. I, 513,
I mercenarii pontificii ed i mercenarii liberali. II, 257.
Lo Stato nello Stato del Regno d'Italia. II, 513.
Le Sètte e i moderati in Italia. III, 5.
Le sacre missioni predicate in Italia dai liberali. III, 174.
Il liberalismo massonico ed il Concilio ecumenico. III, 549.
L'invito del Papa ai protestanti e il giornale il *Times*. IV, 385.
La morale protestante e la morale cattolica. IV, 529.
La Mentana del 1868. V, 5.
Timori e speranze. V, 129.
Le rette intenzioni dell'*Opinione*, giornale di Firenze. V, 686.
I timori della Repubblica. VI, 161.
Gli sguardi del mondo rivolti al Sommo Pontefice. VI, 304.
Liberalismo e bugìa. VI, 531.
I liberali e le scimmie, confronti scientifici. VII, 257.
Autobiografia del liberalismo italiano. VII, 5, 513.
Il Concilio e i liberali imperfetti, perfetti e più che perfetti. VIII, 279.
Separazione del popolo dallo Stato in Italia. IX, 129.
I conservatori in Italia. X, 35.
Gli scioperi. X, 385.
Il decrescere del liberalismo. XI, 129.
La massoneria e la guerra. XI, 529.

Serie IX. — Massoni e massoncini. I, 215.
Rachiticismo della presente massoneria italiana. I, 330.
L'antichità della massoneria e le sue ali di cartone. I, 456.
Tranellerie massoniche. I, 714.
Pranzi, negozii, statuti generali della società dei liberi muratori. I, 339.
Corna e corda della massoneria. II, 87.
La massoneria e le sètte massoniche. II, 216.
L'assemblea dei frammassoni in Roma. II, 462.
Il gran segreto della massoneria. II, 603.
Il gesuitismo massonico. II, 725.
Il segreto dell'assemblea e della famiglia massonica. III, 84.
Lavori esoterici ed acroamatici dell'ultima assemblea massonica. III, 335.
Settarii, sètte ed insetti massonici. III, 599.
Abbasso la massoneria. IV, 85.
Sfasciamento del fascio massonico italiano. IV, 337.
La frammassoneria inglese. IV, 470, 729.
L'autorità dei frammassoni. V, 94.
Un po' di luce sopra la presente batracomiomachia massonica italiana. V, 218.
I sagrestanelli dell'Arciprete. V, 338.
Il primo massone d'Italia. V, 458.
Il quaresimale del ven. Giuseppe Garibaldi. V, 596.
Inaugurazione della trattoria o tempio massonico di via della Valle. V, 716.
Storia di un assassinio massonico-carbonaro commesso in Roma. VI, 109, 218, 337, 464, 587, 729. VII, 81.
Un documento segreto della massoneria. VIII, 327.
Ebrei e preti della massoneria romana. VII, 741.
Istituzioni segrete massoniche pel futuro conclave. VII, 598, 733. VIII. 85.
Solenne battisoffia toccata all'Alta Vendita nel 1829. VIII, 211.
Sfoghi segreti fra i massoni Beppo e Nubio, VIII, 335.
Lettera confidenziale di Tigrotto. VIII, 454.
Dissensi tra l'Alta Vendita e i suoi cagnotti. VIII, 726.
I Mazziniani scoprono l'Alta Vendita. IX, 91.
Nubio minaccia il Mazzini di una pugnalata. IX, 221.
Della massoneria mazziniana. IX, 338.
Del Mazzini. Suoi primi lavori settarii. IX, 473.
Il Mazzini carbonaro. IX, 716.
La Religione e il domma massonico. X, 85.
Imprese massoniche del giovine Mazzini. X, 214.
I Nubiani tentano invano di sbarrazzarsi del Mazzini. X, 343.
Il liberalismo e la massoneria. X, 473.
Il liberalismo cattolico, i due sillabi e le due carità. X, 597.
Natura ed essenza del liberalismo e del cattolicismo liberale. X, 720.
Cattolici massoneggianti. XI, 82.

Scarsità di liberali veri cattolici. XI, 210.
Notizie varie intorno la massoneria. XI, 450.
Sfasciamento dell'Alta Vendita. XI, 592.
La setta dei sanfedisti e dei concistoriali. XI, 727.
I concistoriali, i giansenisti, i frammassoni, la massoneria gesuitica ed i massoncini. XII, 88, 342, 477, 597, 727.

Serie X. — Questione fra il grand'Oriente di Roma e il grand'Oriente dell'Arciprete Angherà. I, 27, 218, 343.
La loggia massonica del Dott. Mengozzi. I, 470.
Impotenza presente della massoneria secondo il Bacci. I, 601.
La segretezza raccomandata dal Bacci. I, 723.
Relazione clandestina del gran cancelliere massonico. II, 94.
La puntualità della parola massonica. II, 214.
Basso stato della massoneria volgare in Lombardia. II, 336.
Il conciliabolo massonico in Roma nel 1877. II, 467.
Imbecillismo della massoneria italiana. II, 588.
Storia del Cagliostro. II, 715. III, 225, 470, 600, 728. IV, 469, 601, 713. V, 219, 354, 464. VI, 210, 334, 478, 727. VII, 88, 206, 459, 598, 719. VIII, 473, 595, 729. IX, 98.
Scomunica inflitta dalla massoneria ai preti cattolici. IV, 88.
Causa di leso frammassone. IV, 213.
La condanna della massoneria fatta da Leone XIII. IX, 481.
Nozioni generali sullo spiritismo. X, 703. XI, 315.

Serie XI. — La presente agitazione antisemitica tedesca. V, 105.
Gli ebrei secondo il Talmud. V, 224.
L'odio degli ebrei contro i cristiani. V, 482, 599. VI, 214.
Dell'odio ebreo contro il genere umano non ebreo. V, 727. VI, 214.
La scienza della setta e l'ignoranza romana. VI, 141.
Testimonianze dello spirito antisociale del giudaismo. VI, 477.
Della reazione giudaica. VI, 730.
Della malefica azione giudaica. VII, 96.
Le lettere di Innocenzo IV in difesa degli ebrei. VII, 230.
Il sangue cristiano nella Pasqua degli ebrei. VIII, 225. IX, 197, 219, 353, 472, 605, 732. X, 97, 214, 473.
Il processo di Trento. Venditori di sangue cristiano nel medio evo. VIII, 345, 476.
Il processo di Damasco del 1840. X, 599.
Frodi ebree nel processo di Trento. X, 727.
Che la massoneria è roba giudaica. XI, 90.
Le disgrazie della massoneria romana. XI, 216.
Guerra fratricida nella massoneria. XI, 351, 480.
I congressi massonici di Milano. XII, 602.
Il congresso massonico di Roma. XII, 737.
La basilica di S. Pietro. XII, 346, 476.

Serie XII. — Francesco Coccapieller e la massoneria. I, 217, 476.
Vane difese contro la realtà dell'uso del sangue cristiano. I, 606.
Relazione fra la Cabala e la massoneria. I, 725.
Se sia mai esistita una Cabala buona. II, 224.
La Cabala scoperta da Pico della Mirandola. II, 357, 481.
Pico della Mirandola. II, 481, 616, 729. III, 472, 597, 736.
Sunto e commenti del processo di Tisza Eszlar sopra l'uso rituale del sangue. IV, 217, 353, 484, 609, 730. V, 217, 349, 491, 614, 735. VI, 223.
Il Mortara e Ruggero Bonghi alle prese. VI, 223.
Di alcuni documenti massonici poco noti. VI, 406, 653.
Della vera origine dell'Antisemitismo. VI, 479.
Mirabili effetti dell'Enciclica *Humanum genus*. VI, 525.
La non mai esistita legge dell'arcano. VI, 602.
Assurdi del rabbino Mortara. VII, 97.
La massoneria inglese. VII, 159.
Di un libro *pro Iudaeis*. IX, 32, 161, 287, 420, 530. X, 48. XI, 548. XII, 164, 285. — Ser. **XIII**. Vol. I, 173.

Serie XIII. — Dell'ebraica persecuzione contro il Cristianesimo. II, 437, 668. III, 546. IV, 426. VI, 278. VII, 142.

RECOGNITIONES *(Riviste della stampa)*.

Serie I. — M. Liberatore. *Il comunismo e il socialismo*. Vol. I, pag. 343.
G. Forte. *Il clero cattolico nei tempi presenti*. I, 345.
La discussione della legge Siccardi. I, 346.
Card. Baluffi. *La riforma in Italia*. I, 451.
C. Fondora. *L'Immacolata Concezione*. I, 457.
*L'*Opinione *e la libertà d'insegnamento*. I, 579.
Il giornale Il Risorgimento *e l'opinione pubblica*. II, 77.
Borgianelli. *La Gesuitofobia*. II, 328.
Il Risorgimento *ed il partito cattolico*. II, 445.
Osservazioni su molte lettere stampate nel Nazionale. II, 569.
Sopra un articolo dello Statuto *sullo spergiuro*. III, 355.
L'educatore. III, 651.
L'eco della Borsa. IV, 201.
A. Ceccarelli. *La demagogia e la sovranità temporale della S. Sede*. IV, 293.
E. Alberi. *Criterio della storia del Papato e dell'Italia*. IV, 293.
Il Papa del secolo XIX. IV, 293.
*Due numeri dell'*Italia libera *contro la* Civiltà Cattolica. IV, 400.
Le censure del Risorgimento *all'editto del Card. Antonelli sopra il Consiglio di Stato Romano*. IV, 649.

*Le immunità ecclesiastiche e l'*Indicatore sardo *del 6 gennaio 1851.* V, 93.
L. Desanctis. *Dialoghetti.* V, 329, 581.
A. Brofferio. *Storia del Piemonte.* V, 682.
Il Risorgimento, *il* Florilegio cattolico *e la* Civiltà Cattolica. VI, 334.
Il Lombardo Veneto *del 14 agosto 1851.* VI, 570.
L'Opinione *condannata per oltraggi alla Religione.* VI, 693.
Opere ascetiche di S. Bonaventura. VI, 698.
Triste annunzio della Buona novella. VII, 513.

Serie II. — *Sull'evidenza del Cristianesimo.* III, 564.
Se la Civiltà Cattolica *sia tradizionale.* III, 571. V, 358.
A. Franchi. *La religione nel secolo XIX.* III, 679.
F. De Lardi. *Considerazioni cristiane.* III, 686.
G. Diodati. *Il Nuovo Testamento tradotto in lingua italiana.* IV, 551.
Nuova maniera di scrivere le riviste della stampa. VIII, 449.
*L'*Unione *e la* Civiltà Cattolica. IX, 661.
La Rivista illustrata. X, 197.
Favole inventate dal corrispondente romano del Piemonte. XI, 73.
Il Piemonte *e la* Civiltà Cattolica. XI, 210.

Serie III. — *Di alcuni libri utili ai giovani.* III, 419.
G. Valentinelli. *Bibliografia della Dalmazia e del Montenegro.* III, 412.
Les quatre Martyrs, IV, 223.
*Sopra due numeri dell'*Amico cattolico *di Firenze.* IV, 572.
Il Crepuscolo *di Milano.* V, 212.
La Cronaca *di Milano ed i corrispondenti della* Civiltà Cattolica. VI, 208.
A. Ferrante. *Vita del ven. Ancina.* VI, 720.
Un bullettino di recenti scoperte nelle Letture di Famiglia. VII, 476.
Sopra un articolo del Crepuscolo. VIII, 470.
*Un articolo dell'*Arte *di Firenze intorno alle opinioni della* Civiltà Cattolica *sul Teatro.* IX, 340.
Sopra una dichiarazione del sig. F. Ferrante. X, 586.
*L'*Imparziale *fiorentino ed il* Crepuscolo *di Milano.* XI, 336.
Documenti relativi alla soppressione dei Gesuiti. XII, 343.
Il Piovano Arlotto *e lo* Spettatore. XII, 739.

Serie IV. — *Di alcune scritture in difesa del Papa.* III, 586.
Come il Constitutionel *cerchi di dimostrare che i Papi non sono padroni.* VI, 458.
Gli ordini segreti di Roma e il Clero. VII, 700.
Storia di un dispaccio. VIII, 607.
P. Spinucci. *Parole ai Pesaresi.* IX, 203.
Roma ed i Vescovi di Francia. IX, 456.
F. Mayr. *Le condizioni politiche d'Italia.* IX, 722.
Il canto sublime di un Parroco toscano nella Nazione. X, 715.
Non toccate il Papa. XI, 206.
G. Sebastiano. *Un discorso del Prof. Gargano.* XII, 587.

Serie V. — *I partiti dell'opposizione.* I, 467.
L. Veuillot. *Un nuovo libro sopra Roma.* II, 453.
V. Steccanella. *Il Clero negli attuali rivolgimenti politici.* IV, 91.
L. Aimé Martin. *L'educazione delle madri di famiglia.* IV, 323.
G. Perrone. *L'apostolato cattolico e il proselitismo protestante.* IV, 471.
T. Mamiani. *Della rinascenza cattolica.* IV, 578.
La rosa di ogni mese. *Calendario fiorentino.* IV, 705.
La Rivista contemporanea. V, 99.
Il Governo temporale dei Papi giudicato dalla diplomazia francese. V, 332.
A. Gennarelli. *Di un famoso capitolato.* V, 457.
A. Conti. *Sulla liberazione d'Italia.* V, 728,
Il Dovere *giornale politico.* VI, 209.
La Discussione, *giornale di Torino.* VI, 326.
G. Perrone. *L'idea cristiana.* VI, 479.
Il Conservatore, *giornale di Bologna.* VII, 81.
La società Auxilium Christianorum. VII, 198.
Sopra una bella pagina libraria di Felice Le Monnier. VIII, 216.
A. Mazzucotelli. *L'arte del Guttemberg.* IX, 89.
Il Carroccio *di Milano.* IX, 454.
E. Dubrou. *Se io fossi vescovo.* X, 212.
Una parola al corrispondente de Czas. XI, 217.
Del rispetto che unisce i giornalisti liberali ai loro associati. XII, 202.
Due giornali torinesi contrarii alle convenzioni del 15 settembre 1864. XII, 464.

Serie VI. — *Di Eusebio Reali e di un suo famoso sillogismo.* I, 121.
Plus d'argent plus de Yung. I, 218.
*Il trasporto in Firenze del giornale l'*Opinione. III, 28.
G. Ferrari. *Il governo di Firenze.* IV, 200.
Risposta di L. Bertocchi *alla* Civiltà Cattolica. IX, 79.
Un memorandum *smemorato di Q. Filopanti.* IX, 217.
L'associazione nazionale degli Asili rurali. IX, 338.
Sopra una pastorale del Card. Trevisanato. X, 460.
G. Rossi. *Il clero e i nuovi tempi.* XI, 599.
Di un discorso del Governo italiano. XII, 456.

Serie VII. — *Rapporto della campagna della polizia pontificia.* I, 210.
Sopra il N° 85 della Correspondance italienne. II, 214.
Società della Gioventù Cattolica. II, 218.
S. Bianciardi. *Fiori e pensieri.* III, 334.
Roma e le popolazioni cattoliche. III, 468.
Al Clero. Riflessioni. V, 555.
S. B. Pitra. *Iuris ecclesiastici graecorum historia.* VI, 49.
La questione religiosa. VI, 60.
Filopanti. *Il lotto e Pio IX.* VI, 459.
Sopra una lettera anonima. VII, 197.

Sopra la sincerità della ritrattazione di Mons. Ricci. VII, 446.
L. Bertocchini. *La verità agli Em.mi Cardinali.* VII, 205.
Della mancanza dei veri partiti politici. IX, 459.
S. Iacini. *Sulle condizioni della cosa pubblica in Italia, dopo il 1866.* IX, 569.
C. Persano. *Diario.* X, 179.

Serie VIII. — *I giornali di Roma.* I, 182.
La Civiltà Cattolica *in Firenze.* I, 423.
*L'*Opinione *e la stampa cattolica.* I, 429.

Serie IX. — *Una lettera della* Rivista universale *alla* Civiltà Cattolica. VIII, 323.

Serie X. — *Causes intérieures de la faiblesse extérieure de l'Eglise en 1870.* VII, 567.
Degli schiarimenti intorno la vita di G. Leopardi. VIII, 358. Serie XI vol. II, 585, 699. III, 69.
Nozioni generali dello spiritismo. X, 206.
A. Manno *Informazioni sul ventuno in Piemonte.* XI, 462.
G. Arrivabene. *Memorie.* XI, 590.
A. Manno. *Assedio di Torino.* XII, 66.
M. Tabarrini. *Gino Capponi.* XII, 709.

Serie XI. — G. Cugnoni. *Vita di L. Rezzi.* I, 74.
S. Fenzi. *Il moderno spiritismo.* I, 715.
A. Reumont. *Gino Capponi.* VI, 83.
La massoneria e il giudaismo. XI, 731. XII, 219.

Serie XII. — F. Paoli. *Vita di A. Rosmini.* IX, 594.
V. Papa. *La morte morale e fisica di A. Rosmini.* X, 581.

Ex elogio, quod ephemerides *La Civiltà Cattolica* de Oreglia contexuere (Serie XVI, vol. IV, pag. 504), ex tabulario provinciae taurinensis S. I., et ex sodalium notitiis hanc memoriam conscripsimus.

IACOBVS RAZZINI

XXX.

IACOBVS RAZZINI

Millacini ad lacum Cusium est ortus, exeunte anno MDCCXVI. Adolescens spectatis moribus atque ingenio praestanti, Societati nostrae se addixit Calari in Sardinia, annos natus undeviginti. Cherii, ut ab eius contubernalibus accepimus, litteras elegantiores, breve admodum tempus, recoluit in ludo Isaïae Carminatii, cuius ductu magnos progressus effecit. Hoc satis elucet ex carminibus latinis, quae tum temporis elucubravit. Nam dignissima habita sunt, quae postea evulgarentur. Subinde in Collegio Iriensi mediam grammaticam, et, anno insequenti, supremam in Novariensi tradidit. Quum iterum Iriam devenisset, atrii praefecturam gessit; et Novariam regressus, scholis inferioribus vicaria potestate praefuit. Anno MDCCCXLII decedente, Taurinum contendit, ut in Collegio Sanctorum Martyrum theologiae compendiariae operam daret. Quum enim pectore gravissime laboraret, integrum severiorum disciplinarum cursum emetiri non poterat.

Anno proxime insequenti, a moderatoribus in ephebeum Staviacense, dein in Friburgense apud Helvetios hoc consilio est missus, ut quae ad puerorum institutionem novis temporibus magis idonea ibi animadvertisset, de his ad suos referret. Hinc luculenter apparet, quanti iamtum a praesidibus Razzinius fieret. His in domibus ad duos annos constitit, et contuberniis praefectus fuit (1). Pari tempore theologiae moralis curri-

culum explevit, atque ad sacerdotium evectus est. A compluribus sodalibus accepimus, magni omnino inibi Razzinii operam fuisse, ut omnium amorem et existimationem sibi pepererit. Ibidem illa tempestate degebat P. Antonius Maria Anderledyus, qui postmodum Societatis Iesu moderator fuit supremus. Hic etiam de Razzinii in pueris regendis singulari virtute testimonium perhibuit luculentum.

Hinc regressus Taurinum, Alexandro Ponzae a S. Martino, Collegii-Convictus Nobilium, cui nomen a Carmelo, moderatori socius obtigit, plurimo fuit subsidio, eiusque non minus quam alumnorum omnium gratiam iniit. Sed tempora turbulentissima inciderunt, quibus est effectum, ut nostri omnes dispalati in diversa abire cogerentur. Tum Razzinius in compluribus discriminibus est versatus, e quibus, ob amorem impensum, quo in Societatem Iesu ferebatur, sospes evasit. Ab Italia exulare compulsus, apud Belgas se recepit, et Bruxellis, dein Tornaci aliquandiu constitit. Sub exitum anni MDCCCL in Siciliam profectus, Netum devenit, atque, administri titulo, Seminario urbano est praefectus, ibique alumnos linguam gallicam, quam probe tenebat, praeterea edocuit. Biennio elapso, a Praeposito Generali nostri Ordinis Panormum est missus, si forte consilio, quo plurimum valebat, nostro collegio adiumento esse posset. Nihilo secius in domo, quam professam vocamus, annum unum est commoratus. Haec huius viri, qui postea tantopere claruit, paullo humiliora exordia fuere. At vero, quos ei aditus ad altiora munia obeunda corporis invaletudo praecluserat, hos pedetentim virtus animi expedivit.

Itaque a Sicilia in suam provinciam revocatus, Bastiae in insula Corsica, sodalibus regundis est praepositus, et in pios etiam coetus ad virtutem alendos incubuit. Quibus in muneribus, eius pietas, prudentia, urbanitas, ac praecipue caritas, clarius splendere coeperunt. Nulli aditum negabat, cunctis, ut suae erat opis, libenter aderat, atque ita omnium sibi animos facile conciliavit. Qua de causa, maiores ad eum in dies concursus fiebant, tum populi, tum cleri primoribus, praesertim dioecesis episcopo, cuius intimae admissionis consiliarius est factus, gratissimus erat, itemque plurimi honores ab omnigenis hominibus ei ha-

bebantur. Hos inter vir fuit quidam magno natu, dives opum, qui longarum navium magistris, quibus imperabat, mandavit, ut, quoties Razzinius vela faceret, eum humanissime exciperent, honorifice haberent, quin etiam, nullo exacto portorio, quocumque vellet, ultro citroque transveherent. Bastiae ad decem annos paene continentes nostris sodalibus praefuit. Qua etiam tempestate tirones suae provinciae, qui, ob civiles Italiae procellas, e suis sedibus exturbati, hanc in urbem perfugium quaesiverant, ad omnem pietatem, magistri titulo, instituit.

Itaque P. Petrus Beckx, nostrae Societatis Praepositus Generalis, quum Razzinii prudentiam, dexteritatem atque felicitatem in rebus agendis satis perspectam haberet, sub finem anni MDCCCLXIII, in Brasiliam eum traiicere iussit, ut amplissimam regionem, quam sodales provinciae romanae sacris expeditionibus peragrandam excolendamque sibi nuper delegerant, Visoris titulo ac potestate exploraret, et summae rerum consuleret. Hanc novam sibi Spartam commissam Razzinius quadriennium egregie administravit. Enimvero urbium et provinciarum brasiliensium optimates, tum sacros, tum civiles, praesertim episcopos, adiit eorumque voluntates sibi penitus adiunxit. Magni praeterea illius imperii administros praecipuos blande admodum appellans, eorum animos ita captavit, ut nihil magis optarent, quam Societatis nostrae rebus favere, Razzinii amicitiam cupidissime expeterent, et cum eo esse, vel loqui, sibi honori ducerent. Horum unus, qui principem locum apud imperatorem tenebat, quum per urbis vias, rheda invectus, in Razzinium pedestrem incidisset, confestim equos sisti iussit, eumque honoris ergo rheda sustulit.

Neque minorem Razzinius a Petro II, Brasiliensium imperatore, gratiam iniit. Etenim eius adeundi facultate impetrata, quidquid in religionis bonum expoposcit, facile obtinuit. Quam ob rem imperator Razzinio maximas sibi gratias persolventi, subridens, « Vide modo, inquit, ne hinc egressus, orbi universo palam facias, te a Brasiliae imperatore nihil postulavisse, quin is confestim tibi largitus sit ». Id porro magis mirandum, quod scilicet ante Razzinii adventum idem imperator multa de nostris sodalibus opinaretur, quae a veritate longe aberant, eosque non aequis oculis aspiceret. Itaque post haec illo in imperio res

nostrae Societatis in melius cesserunt, Collegium Ituense in provincia S. Pauli excitatum est et *missio* brasiliensis constituta.

Illud postremo referre libet, quod etsi fortuito evenit, maximum tamen ad nostrorum salutem habuit momentum, ut casus ad consilium adhibitus fere visus sit. Razzinius, antequam e Brasilia excederet, quum litteras ad Praepositum Generalem nostrae Societatis dedisset, quibus eum, de rebus a se in Brasilia gestis certiorem faciebat, et maximis imperatorem eiusque administros laudibus exornabat, continuo ad eundem imperatorem alteras litteras conscripsit, quibus ei pro beneficiis acceptis gratias ageret. Verum in litteris complicandis est factum, ut, versis vicibus, quae ad unum essent datae, alteri inscriberentur. Itaque imperator, quum litteras ad Praepositum Generalem scriptas accepisset, perlegissetque, pro certo comperit, sodales nostros optime in se suosque esse animatos, atque Razzinio fideliter praestitit quae liberaliter pollicitus erat.

Razzinius in Italiam reversus, Bastiae in Corsica constitit ad annum usque MDCCCLXXIII, quo anno in extremam Californiam, Visoris provincialis auctoritate insignitus, se traiecit. Hanc novam legationem non minore diligentia ac felicitate explevit. Quamquam tenuissima valetudine utebatur, etiam ad regionem, quae a Montibus Saxosis nomen invenit, se contulit, eamque itineribus difficillimis, equo invectus, peragravit, sodalibusque maximo fuit subsidio et solatio. Quum postea Monoecum in Italiam regressus esset, nostri collegii rector est constitutus. Dein sexennium in urbe Genua sodalibus praefuit, quo etiam tempore consultor provinciae est renunciatus.

Quum itaque aliorum moderandorum peritissimus esset, et tot in nostram Societatem et religiosam rempublicam promeritis claruisset, ad sollemnia quattuor religiosae professionis vota nuncupanda se comparare est iussus, quo videlicet provinciae taurinensis praepositus constitueretur. Id quidem omnium nostrorum plausibus ac laetitia est factum anno MDCCCLXXXI; quandoquidem anno MDCCCL tria vota adiutorum propria tantummodo emiserat. Sex annos solidos hoc officium obiit maxima omnium consensione; et, eo auspice, plurimae ad provinciam nostram factae sunt accessiones. Augustae Taurinorum Collegium-Convictus, cui ti-

tulus *Istituto Sociale*, est coemptum; itemque collegium aliud Genuae in via Mamelia est excitatum: quod nihilosecius, quorundam invidia, non diu viguit. Praeterea Collegium S. Iosephi in California est inchoatum, et Cherii antiquum rus suburbanum, quod Aloisilla audit, aere redemptum. Ad hoc regionem Alaskam, quae in extrema America est sita et mare hyperboreum contingit, nostrae provinciae sodales sacris expeditionibus excolere coeperunt. Numerus etiam sociorum provinciae taurinensis adeo crevit, ut incrementum recens cum superiore minime esset comparandum. Razzinius denique primus fuit, qui ab anno MDCCCXLVIII praepositi provincialis sedem ipsa in urbe Augusta Taurinorum constituit.

Ibi summa, tum cleri, tum populi concordia est versatus. Caietanus Alimonda, Pater Cardinalis eiusdemque urbis Archiepiscopus, eo magnopere delectabatur, et ab interioribus consiliis, quin etiam a sacra confessione utebatur saepissime. Itaque idem quum Genuam se contulisset, ibique gravi morbo correptus, iam in extremo periculo versaretur, Razzinium Taurino accersivit, ut sibi admissa confitenti aures praeberet, et in supremo vitae articulo adesset. Hic porro, quoniam res monet, praetermittendum non censeo, complures omnino fuisse, qui ex hac vita migraturi, Razzinii praesentiam et religiosam opem magnopere exoptarent. Qua de re hoc relatum accepi: Iosephus Oliverus, noster sodalis, a rebus domesticis adiutor, gravi aetate, pietate singulari, quum Bastiae in insula Corsica moraretur, Razzinio, ad longinquam Americam iterum vela facturo: « Equidem, inquit, ex hac vita ante non abibo, quam tu ad nos regressus sis ». Verba eventus comprobavit. Etenim, anno proxime insequenti, quum Oliverus morbo decumberet, atque in eo esset ut animam ageret, Razzinius, legatione americana iam perfunctus, repente adfuit, eique voto potito et sacris expiato vale dixit supremum.

Anno altero, quo provinciam taurinensem regebat, Razzinius ad generalem totius Ordinis conventum est profectus, qui anno MDCCCLXXXIII Faesulis est habitus. Item, iam devexa aetate, anno nimirum MDCCCXCII, Loiolam in Hispaniam devenit, ut eidem conventui interesset. Provincia taurinensi administrata,

magisterium pietatis in nostra domo taurinensi biennium obiit. Dein collegio nostro, eadem in urbe, pari annorum spatio, est moderatus. Hinc Genuam se recepit, ibique, ad quattuor annos, nostris sodalibus praefuit. Senescentibus viribus, Monoecum revertit, ut sodales nostros, qui in collegio, cui titulus a Virgine Maria Hospita, degebant, ad pietatem excoleret. A cunctis, veluti Angelus divinitus missus, exceptus est. Porro, ea caritate impulsus, qua nemini unquam, quamvis intempesto tempore, defuit, quum Mentonem, proximam in urbem, dura hieme, se contulisset, ut cuidam aures pro sacro tribunali praeberet, in morbum incidit. Quo in dies recrudescente, Deum unice spectans, quem toto vitae tempore ex animo dilexerat, e vivis excessit, annos natus circiter octoginta. Itaque sua eum virtus terris eripuit et coelo restituit. In hypogeo aedis collegii Monoecensis est inhumatus, ibique, una cum multis sodalibus, beatam praestolatur anastasim.

Huius viri obitus, tum aliorum, tum nostrorum animos vehementissime perculit. Omnes enim cum Razzinio coniunctissime vixerant; et complures magnis ab ipso beneficiis affecti eum incredibili amore prosequebantur, et in honore habebant. His de causis bene multi fuerunt, qui a nobis expostularunt, ut Razzinii elogium conscriberemus. Quod utique praestare boni consuluimus, ut non modo aliorum, sed etiam nostro desiderio obsequeremur (2).

OPERA EDITA

1° Eius carmina latina, numero tria, habes in libello cui titulus: *Isaïae Carminatii S. I. Auditorum Cheriensium Carmina Sacra. Edidit Salvator Casagrandius ex eadem Societate.* Excudit Augustae Taurinorum Vincentius Bona, Regis Italiae Officinator Librarius. Anno CIↃ IↃCCC XCVIII.

2° Quae scripsit de rebus Brasiliensibus invenies in *Litteris Valsensibus,* sub mense Septembri, a. 1866, p. 24-28, et mense Maio, a. 1867, p. 10-11. Evulgatae sunt etiam in ephemeridibus, quae ita inscribuntur: *The Woodstock Letters* Vol. XVIII, N. 53. Iune, 1889, p. 171...) sub hoc titulo:

Brazil, 1848-1865 *Memoirs of Fr. I. Razzini,* Vol. XIX, N. 56. Iune, 1890 *The Iesuits in Brazil,* 1865-1866 *Memoirs of Fr. Razzini* p. 165.

NOTAE

(1) Anno primo constitit Staviaci (Estavayer) in parvo ephebeo; anno altero Friburgi in magno.

(2) Ex litteris prov. Taur., editis anno MCM. ea desumpsimus, quae de Razzinio prosecuti sumus. Multa etiam ab eius ore accepimus.



PASCHALIS TOSI

XXXI.

PASCHALIS TOSI

In oppido Sancto Vito, in provincia Foroliviensi, vitam iniit anno MDCCCXXXV. Ad litteras venustiores, et disciplinas philosophicas aeque ac theologicas animum advertit in sacro ephebeo Brictinoriensi, ibique moderatorem est nactus Iosephum Baymam, et pietatis ac theologiae magistrum Iosephum Giordam, sodales nostros singulari praeditos virtute. Equidem Tosio, ea tempestate, contubernali et condiscipulo usus sum, eiusque pietatem, prudentiam et sedulitatem admiratus. Tanto in nostros sodales amore ferebatur, ut ad sacerdotium evectus et sacri curionis vicibus ad decem menses in patria perfunctus, nostrae militiae se addixerit Monoeci in Liguria, annos natus septem et viginti. Tirocinium pietatis exegit sub Alberto Cetta, viro gravissimo, et theologiam universam ibidem annum unum recoluit. Animarum salutis studio impulsus, ad sacras Montium Saxosorum *missiones,* ad quas Iosephus Giorda paucis ante annis se contulerat, quasque adire ipsemet iamdiu in votis habebat, anno MDCCCLXV magno animo contendit.

Ad viginti annos, eodem Giorda supremo illarum *missionum* moderatore, maximis laboribus exantlatis, dignus habitus est, qui in statione Colvillensi sodalibus praeesset. Quod animum gerebat fortem et erectum, ut nullis unquam difficultatibus obrueretur, a moderatoribus socius est datus Carolo

Seghersio Vancouverensium Episcopo, viro sanctissimo, qui, anno MDCCCLXXXVI, ad Alaskae regiones remotissimas primus omnium ire parabat, ut eas sub Christi Redemptoris redigeret potestatem. Brevi post tempore, quum Episcopus, a famulo nequissimo et *Franco-Murariorum* sectae addicto, ignea glande enectus esset, Tosius, omni ope destitutus, tantum abfuit ut animo deficeret, ut etiam maiores sibi spiritus sumeret, quibus totam eam regionem Christo lucrifaceret. Itaque Alaskam, quamquam complures anni menses tenebris obductam, nivibus obrutam, glacie lubricam, omnique cultu desertam, cavis trabibus invectus, instar ratis compactis, quas canes, usu docti, longo agmine pertrahebant, nullis semitis patentibus, quaquaversus ab insulis Aleutinis et a Montibus, quos Saxosos nuncupant, usque ad Oceanum Arcticum, ad quem pertinet, praesentissimo animo peragravit, ut, inita ratione, milliariorum millia amplius quattuor sit emensus.

Incredibile dictu est, quot labores susceperit, discrimina adierit, ut omnibus officii sui muneribus faceret satis. Semel ac saepius in eo fuit, ut ab ursis vel a lupis ferocissimis in frusta discerperetur, aut fame, frigore, nivium vorticibus, ingruentium nimborum, fluviorumque erumpentium impetu opprimeretur. In caveis ac latibulis humi defossis, ut indigenarum sunt mores, quietem capiebat; piscibus oleo perfusis, glacieque concretis, extremam famem sustentabat; velleribus totum corpus ad capitis verticem operiebat; atque adeo ipsam faciem obtegebat, ne frigore insolentissimo spiritus interciperetur. Propositi tenax et magnae constantiae, quam laboris diuturnitas nunquam frangeret, quin etiam erigeret, duodecim solidos annos illic moratus, nil sibi reliquum fecit, ut barbaros illos populos, quorum salutem cariorem oculis atque anima haberet, ad civilem cultum et christianam religionem traduceret.

Hac de causa, crebrioribus litteris ad moderatores datis, impetravit, ut novos sibi sodales suppetias mitterent; et Vicarium generalem dioecesis Vancouverensis enixe rogavit, ut pias virgines Deo devotas in Alaskam invehendas curaret, quae mulierum ac puellarum praecipuam curam susciperent. Res e sententia cessit. Neque hoc satis habuit. In Europam est regressus, alios sibi socios comparaturus; Leonem XIII, Summum

.....totum corpus, usque ad verticem capitis velleribus tegebat, ne frigoris insolentia spiritus interciperetur.

Pontificem, adiit, de statu suae *Missionis* certiorem fecit, eamdemque *missionem* eius benevolentiae commendavit. A quo perhumaniter exceptus et munifice donatus, totius Alaskae Praefectus Apostolicus est renunciatus. Totam praeterea Italiam, insula Sicilia non praetermissa, aliasque Europae regiones invisit, et compluribus in urbibus ad Christi fideles pro concione sermones habuit, ut, pro suis quisque viribus, in Dei gloria et animarum salute apud Alaskae indigenas provehenda, sibi subsidio venirent.

Ad suos regressus, quum novae eius *Missionis* sacram, tum in nostros sodales, tum in externos homines potestatem suscepisset, undecim sacras stationes in Alaska constituit, quarum unam ipso sub circulo polari; atque in singulis sacellum, ludum litterarium, nosocomium, officinam fabrilem et mapalia lignea aedificavit. Ab his primi eius regionis christianorum pagi exordia cepere. Neque minorem sollertiam adhibuit, ut novum Christi ovile a lupis ingruentibus, ab haereticis nimirum, quos protestantes vocant, et a Popis rossiacis tutum praestaret. Quam ob rem illius sacrae *Missionis* fundator alter, atque Alaskae apostolus iure meritoque est nuncupatus.

Tosio praeterea laudi est tribuendum, quod in barbaris regionibus, tot curis distentus, ut vix temporis horae superarent, quas nocturnae traderet quieti, non exiguam, nec porro inanem litteris ac scientiis operam contulit. Nam Alaskanorum sermones multiplices perdidicit, expendendos suscepit, et dialecti praecipuae, quam Nulatensem appellant, grammaticam et lexicon conscripsit, quae opera ab americanis typothetis, publica impensa, edita sunt. Complures etiam litteras et memoriam fusiorem conscripsit, quibus itinera sua narravit; eam omnem regionem graphice descripsit, atque Alaskanorum originem, religionem, instituta, leges, indolem, mores et usus omnes plane est persecutus; ut viri litterati, geographi et rerum naturalium cultores doctoresque plurimum ei debeant. Etenim nova et peregrina detexit, quae, ne nimius sim, praetereo. Quocirca eum ephemerides Americanorum honorifice compellaverunt et summi civitatum foederatarum magistratus haud levibus existimationis et benevolentiae testimoniis sunt prosecuti.

In praefectura Apostolica obeunda, maximis difficultatibus

est circumventus et complures animi aerumnas pertulit. Tandem valetudine tentatus, quin etiam ictu apopletico perculsus, praefectura decessit. Quamquam in Californiam apud sodales se recipere poterat, ut vires reficeret, tamen Iunovii in pago Alaskano mansit, ibique, sub initium anni MDCCCXCVIII, altero ictu impetitus, diem supremum obiit. Plurimi, non modo e viciniis, sed ab oris longinquis, illuc convenere, ut iusta homini persolverent. Currum funebrem viri praecipui sustulerunt; ac fletu suffusi cadaver terrae mandarunt, pacemque et requietem aevi sempiterni sunt adprecati. Americanorum et Europaeorum ephemerides summis eum laudibus post obitum extulerunt, uti virum de re publica, tum sacra, tum civili, optime meritum; cuius nempe memoria tamdiu inter homines sit mansura, quamdiu suus virtuti honor constiterit (1).

Tosii cives et propinqui, tribus post annis, monumentum marmoreum sollemni pompa ei statuerunt, hoc titulo insculpto (2):

A

PASQUALE TOSI

D. C. D. G.

FONDATORE E PRIMO PREFETTO APOSTOLICO

DELLA MISSIONE ALASKANA

LE MUTE SOLITUDINI DEI GHIACCI PERPETUI

LE BARBARE FAVELLE LE INSIDIE NEMICHE

NELLA MANCANZA D'OGNI UMANO PROVVEDIMENTO

NULLA SCOSSERO IL SUO CORAGGIO

NEI XII ANNI

D'APOSTOLICHE FATICHE DI VIAGGI DISASTROSI

ATTRAVERSO REGIONI DESOLATE

I NOVELLI CRISTIANI BENEDIRANNO

ALLO ZELO INDEFESSO ALLA VIRTÙ AMMIRABILE

DEL PADRE DESIDERATO

MANCAVA ALL'AMORE DE' FIGLI

SUL CAMPO FECONDATO DA' SUOI SUDORI

IL DÌ XIV GENNAIO MDCCCIIC

NELL'ANNO LXIII DI SUA ETÀ

I CONCITTADINI E LA FAMIGLIA

AFFETTUOSI E RIVERENTI

POSERO QUESTA MEMORIA

SALVE O ANIMA INTREPIDA E SANTISSIMA

IL FREDDO MANTO DELLE NEVI ALASKANE

RICOPRE LA TUA SALMA

MA IL TUO SPIRITO DALL'ALTO DE' CIELI

INFIAMMA I FRATELLI CONVERTE I BARBARI

OPERA EDITA

1° *Sketch of the Alaska Mission. Written August 1887.* 8° pp. 11. Frons externa haec habet: *Sketch of the Alaskan Mission with an account of the death, of the late Most Rev. Charles J. Seghers, Archbishop-Bishop of Vancouver Island B. C.*

2° Epistolae. Has invenies in commentariis quibus titulus:
Lettres de Vals, Décembre 1873, 12-13.
Lettres de Jersey, 1887, p. 452-4, 1889, p. 304-319, 332-5..
Missions catholiques. 1894, p. 473-4.
Woodstock Letters, 1888, p. 326-8; 1889, p. 332-51.
The Catholic Review, t. 42 (1892), p. 150.
Die Kathol. Missionen, 1889. p. 67-68.
Lettere della provincia Torinese d. C. d. G. Serie II. t. 1 (1892-3) p. 139-57, 173-5, (1897). p. 67-75.

3° *La Missione dell'Alaska. Memoria del R. P. Pasquale Tosi D. C. D. G. Superiore della Missione.* Roma, Tipografia A. Befani, via Celsa 6, 7, 8, 1893, pp. 74, in 8°. Estratta dalla *Civiltà Cattolica,* Serie XV, t. V (1893) p. 503-12, 627-40, t.. VI, p. 502-12, t. VII, p. 376-84.

Alaska. Le Pays. Un Voyage de pénétration. Vide *Études, 1893. t. 60, p. 95-116.*

Haec quidem omnia recensentur in *Bibliotheca (Scriptorum) S. 1.* t. IX. Parisiis 1900, col. 878. Porro Tosius conscripsit ediditque praeterea, ut in eius elogio docuimus, Grammaticam et Lexicon dialecti Nulatensis.

NOTAE

(1) Ex litteris prov. Taur., editis sub annis MDCCCXCII-MCM, et ex notitiis ab ipso Tosio evulgatis in ephemeridibus *La Civiltà Cattolica* eius elogium confecimus.

(2) Ex hoc titulo eruitur, Tosium natum esse anno MDCCCXXXV. Equidem hoc idem accepi ab eius nepote, qui, rogatu meo, paroeciae Sancti Viti tabularium consuluit. Itaque emendanda sunt documenta provinciae nostrae, ubi legis illum natum esse anno MDCCCXXXVII.

HENRICVS VASCO

XXXII.

HENRICVS VASCO

Natvs est apud Clavasium in Taurinatibus, claro genere, anno MDCCCXIII. Patrem habuit Michaëlem Angelum, domo Cherio, equitem honestissimum, pietate singulari et magna in nostram Societatem benevolentia ac liberalitate qui sodalitati Taurinensi, a Sancto Paulo Apostolo nuncupatae, complures annos praefuit. Itaque, ab ineunte aetate, pietatem, ceu iure haereditario, a parentibus accepit. Quam ut in dies magis foveret, Taurinum est missus in Collegium-Convictum Nobilium; in quo praeterea ad omnem litterarum humanitatem a nostris sodalibus est eductus. Acris ingenii, sollertiae et religionis commendatione inter aequales enituit. Anno aetatis vicesimo, litterarum et scientiarum curriculum emensus, quo tutius sibi divitias perpetuo mansuras compararet, fluxas avorum opes despexit; amplaque munera, ad quae ob generis claritudinem facilem sibi aditum aperire poterat, pro nihilo ducens, de nostra Societate amplectenda consilium cepit.

Quum itaque eius pater in collegium venisset, ut eum domum deduceret, adolescens magno animo ait, se Taurino non egressurum, quin extemplo Cherium contenderet, ut Societati Iesu nomen daret. Quo audito, pater, utpote qui non minore prudentia, quam pietate praeditus esset, ad Aloisium Gualam, sacerdotem religione ac doctrina praestantissimum, eum deduxit, ut

hic, qua pollebat sapientia, de adolescentis animo iudicium faceret. Guala, quum de multis eum percontatus esset, et responsiones ad unam omnes expendisset, tantum abfuit, ut iuvenem a proposito deterreret, ut etiam stimulos ad tantum facinus patrandum adiiceret. Itaque pater, eo ipso die, cum filio Cherium est profectus, illumque Societati nostrae libens commisit; atque ita quem a Deo acceperat, Deo restituit.

Vascus, pii tirocinii experimentis positis, Isaïae Carminatii, rhetoris praeclarissimi, ludo annum omnino unum interfuit. Cherio profectus, moderatorum iussu, Iriam properavit, ut grammaticam traderet. Triennium hoc magisterio functus, Genuam contendit et mathesim, pari annorum spatio, in Collegio Albertino explanavit. Postmodum sacrae theologiae curriculum Taurini arripuit. At vero, quod capite graviter ac paene perpetuo laboraret, stadium theologicum contraxit, et properato ad sacerdotium est evectus. Anno MDCCCXLIII, quum Genuam iterum missus esset, et Collegii Albertini rectori administer obtigisset, nulli non patuit, quantum ad iuventutem instituendam valeret. Etenim, ampliore auctoritate a Rectore insignitus, quam quantam administri munus, pro nostris moribus, postulabat, alumnos contumaciores coërcuit, desides impulit, sedulos confirmavit, omnesque ita in officio continuit, ut, non adeo magna mora, imperium legitimum, quod paullulum labare coeperat, in integrum restituerit. Egregium sane virtutis specimen hoc fuit. Erant enim nostri sodales complures, qui existimarent, nisi Vascus subsidio venisset, futurum fuisse, ut res sensim ad extremum casum deduceretur.

Ad quattuor annos Genuae constitit, quorum postremus turbulentissimus fuit, ut tota Italia aspera ac foeda plura evenerint. Nam pessimi quique, rebus novis studentes, quo facilius, quae in rempublicam religiosam et civilem animo conceperant, opere perficerent, sodales nostros ante amovendos decreverunt. Itaque etiam Genuae, egentium et perditorum hominum coacta manu, Nostrorum domos nocturno tempore sunt adorti; iamque in eo erant, ut, Collegii Albertini ianuis perfractis, in moderatores et alumnos praecipites irruerent. Porro Vascus, qui antea nil intentatum reliquisset, ut tantam calamitatem averteret,

animum non despondit; sed per cuniculum, qui fortuito, seu potius Dei benigno numine, paucis ante mensibus repertus fuerat, una cum ceteris clam foras se proripuit; neque ante alumnos deseruit quam singulos in tuto positos cognovit. Reliqui, quo Superis placuit, se quisque receperunt.

Post haec Vascus Taurinum devenit. Quum ubique nostri sodales eundem casum subiissent, et a rerum publicarum turbatoribus omnia raptim agerentur, ingentiaque bella Italorum cervicibus immínerent, neque iam homines religiosi quid sibi consilii caperent, satis perspicerent, multa secum animo cogitavit, qua demum ratione religioni et bonis moribus periclitantibus obviam iret. Ad ultimum, suasore P. Ioanne Roothaan, nostrae Societatis Praeposito Generali, quem sententiam rogaverat, ad recte moratas ephemerides edendas animum advertit. Sed enim, paucis post mensibus, Dolam in Galliam est missus. Hac tempestate, quum in adolescentibus excolendis, tum studio, tum usu, rerum omnium magistro, plurimum profecisset, et multa, pro recentiorum temporum ratione, in prisca puerorum institutione, reformanda ac renovanda putaret, complures quaestiones de puerorum cura, quae in nostris ephebeis haberi debeat, scripto retulit, easque ob oculos posuit P. Ioannis Roothaan, qui in Galliam, dein in Belgium, nostrorum sodalium invisendorum causa, se contulerat. Hic, scripto perlecto, rem magnopere laudavit et concilium decem patrum doctissimorum ex variis provinciis, in Collegium-Convictum Brugelettense apud Belgas convocavit, in quo singulae quaestiones a Vasco propositae et aliae complures accurate expenderentur. Quibus expensis et Vasci opinionibus magnopere probatis, hic ab eodem Praeposito Generali Neapolim in Italiam est missus, ut fusiore ratione scripto explanaret, quae apud Belgas breviter attigisset.

Antequam Neapolim veniret, Romae aliquandiu substitit, ibique a P. Paschale Cambio, provinciae romanae praeposito, rogatus est, ut coram patribus gravioribus, qui Romae essent, sua cogitata de ephebis recte instituendis pro concione exponeret. Huius desiderio Vascus libenti animo obtemperavit. Itaque in domum, quam *professam* nuncupamus, eum auditum convenere magni nominis viri, videlicet Iosephus Bellottius, Iosephus Boerus,

Antonius Brescianius, Paschalis Cambius, Isaïas Carminatius, Iosephus Manfredinius, Iosephus Marchius, Ferdinandus Mininius, Iosephus Paria, Carolus Passaglia, Iosephus Peccius, Marcus Rossius, Tiberius Sagrinius, Angelus Secchius et Dominicus Solimanius. Horum magna pars novam studiorum rationem, quam Vascus summatim adumbraverat, ratam habuerunt; reliqui dignissimam putarunt, quae diligentius expenderetur.

Hinc Vascus Neapolim contendit, ibique, adiutoribus Patribus Ioanne Baptista Centuriono et Iosepho Bayma, provinciae taurinensis sodalibus, viris doctissimis, quorum elogia supra conscripsimus, magnum opus exarare coepit, quattuor voluminibus conclusum, cui titulum fecit: *Il* Ratio Studiorum *adattato ai tempi presenti.* Vertente anno MDCCCL, Romam regressus, opus inceptum perfecit et anno postero in usum nostrorum sodalium typis edendum curavit. Pari tempore, quamquam stadium studiorum contraxerat, tamen, ob egregie promerita in iuventute instituenda et non vulgarem in litteris eruditionem, ad sollemnem trium votorum professionem est promotus. Interea volumen primum atque alterum, dein etiam duo postrema ad sodales nostrae Societatis, qui tum doctrina, tum prudentia, praestantiores ceteris putarentur, missa sunt, quo videlicet quam quisque de Vasci tentamine opinionem ferret, hanc nostris moderatoribus exponeret. Magno numero fuere qui idem sentirent ac Vascus; siquidem, qui eius opus comprobarunt, ad sexaginta; reliqui ad viginti exstiterunt.

Quum itaque res tam prospere cederet, ac praeterea supremus Societatis nostrae moderator, una cum P. Francisco Pellico, qui eidem a negotiis italicis adstabat, Vascum hac de causa quam maxime commendaret eique faveret, nihil iam aliud supererat, nisi in aliquo nostro collegio id omne experiri, quod animo cogitatum et scripto relatum erat. Ergo Vascus cum Bayma in provinciam venetam est profectus, si forte huius praepositus, in collegio urbis Patavii, studiorum rationem et disciplinam universam, quibus nova puerorum institutio inniti deberet, ex animo periclitaretur. Verum Praeposito Provinciali, viro aetate maturo, suis ad consilium adhibitis, non est visa ratio Vasci desiderio e vestigio obsequendi. Nam anni tempus praecipitaverat,

et tam gravem ac multiplicem innovationem idem Praepositus, ne quid inconsultius ageret, subitariam invehere nolebat. Qui, tametsi, Instituti nostri legibus salvis, nonnulla in ephebeis moderandis reformanda censebat, tamen negotium, quod longiorem disceptationem desideraret, ad tempus magis idoneum amandavit. Simul Vascum rogavit, ut, quascumque instaurationis normas scriptas attulerat, sibi traderet. Futurum ut quas, pro re nata, opportuniores esse putaret, iis intra annum ad specimen uteretur. His auditis, Vascus, qui negotii felicitatem totam in celeritate positam arbitrabatur, quum praepositum provincialem a sententia decessurum minime speraret, summae rei diffisus, ab incepto destitit; et qui antea tanta alacritate ac studio in opus nitebatur, postea ab eodem totum se avertit. Bayma eum summopere est hortatus, ut temporis spatium ad consilium capiendum sibi sumeret, ne tot labores suscepti penitus frustrarentur, neve spes tamdiu concepta momento excideret. At perperam. Itaque qui tantum munus ultro amplexus esset, ultro deseruit.

Post haec Vascus Romam est revocatus et in domo *professa* administri munus biennium obiit; dein pari temporis spatio in domo S. Eusebii idem praestitit. Subinde, quod in ephebis regundis, tum re, tum scripto, scientiam suam, sagacitatemque luculenter admodum ostendisset, Collegii Nobilium eiusdem urbis rector est iussus; quo in munere sexennium egregie contrivit. Enimvero ita se gessit, ut quibus eo moderatore uti contigerat, beatissimis esse licuerit; quandoquidem maximo reipublicae civili et religiosae emolumento ac decori in posterum exstitere.

Postmodum domus *professae* romanae administer iterum, ac templi amplissimi, Iesu nomini dicati, praefectus renunciatus, nihil praetermisit, ut disciplina religiosa cultusque divinus quotidie augerentur, et quae piae consuetudines forte obsolevissent, in pristinum statum revocarentur. Ipse vero exemplo ceteris praeibat; frequenter pro sacro tribunali assidebat; adolescentes, vel familiaribus alloquiis, vel piis traditis libellis, ad pietatem informabat; omnibusque, qua consilio, qua opera, in iis potissimum praesto erat, quibus sempiterna hominis salus innititur.

Anno MDCCCLXX, quo Subalpinorum exercitus urbe Roma, ausu nefando, per vim potitus est, Vascus sodalibus qui in

Urbe morabantur, summo fuit praesidio. Plures enim eo in exercitu est nactus, qui, eius precibus permoti, ab iniuriis et contumeliis Nostros prohibuerunt. Nihilo tamen minus, quum postea iidem sodales a suis domibus eiecti essent, Vascus Taurinum in patriam suam se recepit, ibique annos fere triginta, quot nimirum eius vitae superaverunt, est commoratus.

Neque sane otio indulsit, sed totus ad religionis bonum incubuit. Ad hoc ephemerides, quibus *Emporio popolare* nomen indidit, quaeque, mutato nomine, adhuc supersunt, evulgandas curavit. His redigendis quam diutissime praefuit et optimae notae scriptoribus est usus, inter quos compellare libet Petrum Balanum, Andream Scottonum, Ioannem Mastracchium et Sebastianum Sanguinetium, plurimae eruditionis ac religionis viros. Iisdem ephemeridibus usque ad vitae exitum opem tulit omnimodam. Neque hoc satis habuit. Opellam invulgavit, qua normas et leges ephemeridum conscribendarum apte, composite ac dilucide tradidit, ut ab experientissimis commentariorum auctoribus, praesertim vero a Ioanne Stephano Marchesio, magni nominis scriptore, summopere dilaudatus sit. Praeterea de ephemeridibus universalibus, septenis Europaeorum idiomatis evulgandis, cogitavit. Harum, quae Romae erant edendae, Vascus, non auctor, sed praecipuus fautor ac suasor fuit. Eodem consilio plurimum adlaboravit, ut societas, quae telegraphica universalis appellatur, Parisiis institueretur, et alia etiam societas Romae erigeretur, cui a societate Parisiensi praecipui totius orbis eventus quam citissime nunciarentur. Attamen, ob malam quorundam fidem, res ad optatum exitum perduci non potuit.

Taurini etiam dum erat, operam suam P. Antonio Ballerinio praestitit in *Synopsi Historiae Ecclesiasticae*, quae iampridem, sub diagrammate ingentis arboris ramos protendentis, proposita et concinnata erat, perficienda atque iterum edenda. Hanc ipsam Leoni XIII, Summo Sacrorum Antistiti, suo ac Ballerinii nomine, Vascus dicatam voluit. Itaque idem Summus Pontifex litteras breves ad eum dedit, quibus plurimam ei pro impensa opera laudem impertivit et gratum animum pro oblato munere testatus est. Nam Ballerinius, antequam opus in lucem denuo ederetur, diem suum obierat. Cuius etiam obitu est effectum, ut

Vascus in summis ramis eiusdem arboris, inter nomina clarissimorum Ecclesiae scriptorum, iure ac merito Ballerinii nomen inscriberet.

Haud multo post tempore, quam Taurinum devenerat, pio hominum coetui, cui a Sancto Paulo Apostolo nomen adhaesit, est praepositus, quo videlicet magistri pietatis titulo ac munere, ad omnem eum religionem excoleret; nec facile est dictu, quanta eidem sollertia, per longam annorum seriem, adfuerit. Idem matronarum, quas a Misericordia nuncupant, ancillarumque sodalitatem regendam suscepit. Praeterea Virginibus sororibus, a *Recessu in Coenaculo* quas vocant, est moderatus et apud easdem Foederationis Cordis Iesu, quae *Apostolatus Orationis* appellatur, et Societatis, cui a *Communione Reparatrice* nomen est inditum, diplomate honorificentissimo rector est constitutus. Foedus insuper initum inter Catholicos adversus *Franco-Muratiorum* sectam, cui foederi *Lega antimassonica* nomen est factum, impense admodum promovit; eiusque leges recognovit, perfecit et in ephemeridibus, quibus praeerat, invulgavit. Inter adolescentes, Catholicae religioni tuendae ac proferendae praesertim addictos, quorum coetus *Circulus Catholicus* vocatur, observantiam erga Summos Pontifices perpetuo fovit, et petrianam stipem sedulo collegit, quam pro viribus tueri atque augere nunquam destitit. Nil demum intentatum reliquit, ut ephebi, dum litteris instituebantur, ad bonos etiam mores et pietatem omnigenam alerentur. Itaque, honoris causa, in album Academiae, quae *Societas Catholica Instructiva* appellatur, merito relatus est. Quod vero doctrinam philosophicam et theologicam ad mentem Doctoris Angelici totis viribus proveheret, etiam in album sociorum Academiae S. Thomae Aquinatis, auctoritate Pii IX, Summi Pontificis comprobatae, est cooptatus.

Episcoporum rogatu, ac studio suo impulsus, plurima Christifidelium agmina Romam, Summi Pontificis invisendi gratia, semel iterumque peregre deduxit. Longa etiam itinera iniit et in remotas civitates exterarum gentium se contulit, atque ipsam in Urbem orbis catholici principem pluries devenit, quo illum praecipui sacrorum antistites, atque ipse Summus Pontifex, acciverant, ut cum eo de gravissimis rei catholicae negotiis coram agerent.

Quippe ad religionis commoda procuranda ac provehenda eum longe plurimum valere exploratum habebant. Hinc etiam, quum Romae homines religiosi, ut Leonis XIII Pontificis Maximi voto obsequerentur, templum splendidissimum a fundamentis excitarent et Sacrosancto Iesu Cordi dicatum vellent, Vascum adlegere non dubitarunt, qui, pro sua in Iesum, eiusque Vicarium observantia ac pietate, ad templi frontem extruendam atque exornandam, centum libellarum millia in stipem conquirenda curaret.

Eadem praeterea de causa homines omnigeni, praecipue vero patres matresque familias, eum frequentissimi conveniebant, ut de rebus suis consulerent, seque, suosque eius caritati commendarent. Siquidem eum noverant urbanum, comem, benignum, sollertem, rerum prudentem ac pietate in Deum hominesque supra fidem praestantem. Enimvero, sui unius immemor, aliorum omnium memor, neminem unquam hominem praesidio destituit. Laudi illud etiam ei ducitur, quod in publicis doctissimorum hominum conventibus, vel suo vel aliorum nomine, ea pertractanda proponeret, quae ad totius reipublicae salutem magnopere conducerent. Quum enim in urbem Vindobonam, Austriae caput ac magistram, clarissimi artis medicae cultores indicto concilio, simul convenissent, Vascus ab iis scripto expetivit, ut praemium singulare homini studioso decernerent, qui, praeter cadaveris putredinem, tutissimum mortis indicium reperiret, quod in humanis corporibus efferendis omnes inquirerent, ne forte quispiam, uti non semel accidisset, ante obitum inhumaretur. Neque minore eum laude dignum existimo, quod longum admodum tempus, sacrorum antistitum rogatu, coetui patrum familias Taurinensium libenti animo praefuit. Qui coetus in hoc potissimum incumbebat, ut urbi administrandae ii prae ceteris eligerentur, qui non modo civili, sed etiam religiosae utilitati studerent.

Denique non est id praetereundum, Vascum egregie omnino de suis sodalibus meritum esse; quandoquidem, pro sua facultate, plurima in eos beneficia contulit, ita ut plerique omnes aliquod ei commodum acceptum referrent, atque eius animi benevolentiam ultro praedicarent. Quum alumni Collegii Pio-Latini-Americani, qui Romae domum Sancti Andreae in monte Quiri-

rinali incolebant, hinc omnes excedere iussi essent, Vascus haud frustra ad Victorium Emmanuelem II regem litteras dedit, ut longiorem temporis moram iis concederet, quo minore cum incommodo imperata facerent. Collegiis insuper Provinciae Taurinensis pluries praesto fuit, et sacris *Missionibus* Americanis, praesertim Montium Saxosorum, aere collecto, opem tulit.

Anno MDCCCLXXXIII, praeses Collegii Taurinensis, cui nomen *Istituto Sociale,* renunciatus est, eodemque tempore, inter consultores nostrae provinciae est relatus. Scio nonneminem fuisse, qui scripserit, Vascum primum huius Collegii moderatorem fuisse. At Vasco in hoc officio obeundo P. Aloisius Sammarzanius praeiverat; qui praeterea eiusdem collegii conditoris instar est habitus; siquidem praecipuam operam posuit, ut sodalibus nostris traderetur. Duobus post annis, etsi Sammarzanio habenae iterum sunt commissae, tamen Vascus collegii commoda non posthabuit, immo maximo eidem fuit adiumento.

Eodem studio incitatus, quo in pios homines ferebatur, ad eorum etiam salutem animum applicuit, qui a pietate defecerant. Hos inter fuit Carolus Passaglia, qui, nostrae Societati nuncio remisso, a Romano Pontifice totum se averterat, atque ad eius hostes signa contulerat. Hunc igitur hominem, anno MDCCCLXXXII, Cumbevianae, in Taurinorum oppido commorantem et facti poenitentem, Vascus, litteris ultro citroque datis, vehementer est hortatus, ut, nulla interposita mora, cunctis posthabitis, cum Summo Pontifice in gratiam publice rediret, seque suaque omnia eius paternae bonitati ac providentiae prorsus committeret. Ad hoc eius causam Romae, quo hac mente profectus erat, cum eodem Pontifice impensissime egit, iamque in proximo esse videbatur, ut Taurinum regressus, eam utrinque felicissime componeret. At vero Passaglia, conditionibus auditis, quamquam aequissimis, animum despondit et propositum distulit. Porro eundem, paucis post annis, capitali morbo correptum, culparum veniam, plurimis fusis lacrimis, a Deo et a Pontifice Maximo palam postulantem, Vascus propere invisit, et magnopere solatus est. Denique, Passaglia vita functo, praeclarum hoc facinus publicis ephemeridibus evulgandum curavit.

Vascus ad longam senectam quum devenisset, vitam recte

factorum conscientia et bonorum omnium studiis consaeptam explevit Taurini, anno MDCCCIC, in nova domo, quam nostri sodales, hoc ipso tempore, eius liberalitate incolere coeperant. Iusta funebria sunt ei persoluta in templo Sanctorum Martyrum, maxima vulgi frequentia. Luctu et lacrimis egenorum ac pauperum, qui illum patris loco habuerant, atque insigne sibi praesidium ademptum insolabiliter dolebant, parentalia sunt honestata. Ephemerides catholicae Taurinenses eum laudibus extulerunt; et paucis post mensibus, Sodalitas, a Sancto Paulo Apostolo nuncupata, sollemne funus eodem in templo instauravit, hoc titulo pro foribus posito:

HENRICO · VASCO · S. · I.

SACERDOTI · INTEGERRIMO

SODALITAS · A · SANCTO · PAVLO · APOSTOLO

REI · CATHOLICAE · PROVEHENDAE

FVNVS · CVM · LACRYMIS · INSTAVRAT

VT · MODERATORI · SVO · SOLERTISSIMO

CAELESTEM · BEATITATEM · ADPRECETVR

OPERA EDITA

1° *It* Ratio Studiorum *adattato ai tempi presenti, ossia Esposizione ragionata di alcune modificazioni, che, salva la sostanza del* Ratio Studiorum, *potrebbero introdursi nell'insegnamento letterario dei nostri collegi d'Italia, affine di renderlo più efficace nell'ottenere lo scopo delle nostre costituzioni, proposta all'esame e al giudizio dei Superiori e dei Padri d. C. d. G. dal P. Enrico Vasco della medesima Compagnia. A. M. D. G.* Vol. I, Roma 1851 presso la *Civiltà Cattolica* in 8° grande, pp. XVIII-216. Vol. II, pp. 140. Vol. III, pp. 338. Vol. IV, pp. 340. (Complessive XVIII-1034).

2° Synopsis Historiae Ecclesiasticae

Leoni - XIII - Pont. - Max. — Restitutori - Veteris - Sapientiae - et - Politioris - Humanitatis — Antonius - Ballerinius - et - Henricus - Vascus Sodales - E - Societate - Iesu — Devoti - Nomini - Maiestatique - Eius — Ann. - Christiano - M. - DCCC - LXXXI - Sacri - Principatus - IV.

Vendita alla Libreria Ecclesiastica di Clemente Tappi, Doragrossa 20, Torino. Stabilimento Litografico, L. e P. Fratelli Giani.

3° *Emporio Popolare.* Giornale Quotidiano universale. Torino. Ufficio Piazza Castello.

4° *Saggio di alcuni concetti teorici e pratici per una più forte organizzazione del giornalismo cattolico in Italia.* Torino, Tipografia G. Derossi, 1882.

5°? *Società Generale di publicazioni internazionali e dell'Agenzia telegrafica universale.* Torino, Tipografia G. Derossi, 1882, pp. 26.

Utrum Vascus, ut fertur, an alius quispiam hoc opusculum edendum curaverit, plane exploratum non habeo.

6° *Discorso e proposte sull'opera del Catechismo per il M. R. P. E. Vasco.*

Hic sermo invenitur in hoc opere pagg. 38-52: « Atti della prima Adunanza, tenutasi nei giorni 11 e 12 Dicembre 1878 in Torino dal

comitato regionale piemontese per l'Opera dei Congressi Cattolici ». Torino, Binelli e Compagni tipografi, librai, editori, via Doragrossa 18 e Botero 8.

Ad calcem huius sermonis haec verba sunt addita: « Il Discorso del R. P. Vasco viene ascoltato colla massima attenzione, interrotto più volte da fragorosi applausi, il che dimostra aver destato un sommo entusiasmo ».

7° *Isaiae Carminatii S. I. Auditorum Cheriensium. Carmina Sacra...* excudit Augustae Taurinorum Vincentius Bona... Anno CIↃ ICCCC XCVIII.

In pagina 10 invenitur epigramma, cuius in nota leguntur haec verba: « Hoc est V... (Vasci) lepidissimi sodalis nostri fere astronomi ».

Quae de Vasco scripsi mutuatus sum ab eius elogio, quod P. Alexander Zampierius S. I. confecit et evulgavit in ephemeridibus taurinensibus, quibus nomen *Il Corriere Nazionale* a. 1899; a tabulario prov. taur. S. I., et a chartis ipsius Vasci, quae, eo vita functo, in meas manus devenere, quasque in eodem tabulario asservandas curavi.

ALOISIVS MARIA SOLARI

PARERGON

I.

ALOISIVS MARIA SOLARI

CLAVARI ad oram ligurcam est ortus, anno christiano MDCCVC. Savone a sodalibus Sancti Vincentii a Paulo pulcre in litteris est institutus, et in Athenaeo Genuensi ad philosophiam animum contulit. Privatam sacrae theologiae operam dedit, et diaconus inauguratus, egregium huius disciplinae specimen, coram Iosepho Spina, Genuensium archiepiscopo, palam exhibuit. Iam tum, quamquam ex ephebis vix excesserat, ingenio, doctrina, et pietate adeo praestabat, ut omnium oculos ad se converteret. Vitam puriter traducebat; pueros ad Deiparae cultum hortabatur, eosque ad dies festos pie sancteque celebrandos, praemiis propositis, alliciebat, quin etiam ad templum ductabat, aegrotos vinctosque invisebat, et pauperes, ut suae erat opis, inopia sublevabat. Itaque olim sua femoralia, quod alia non suppeterent, cuidam egeno donare non dubitavit. Ad hoc animi demissione,

atque oris modestia tantopere excellebat, ut Sancto Aloisio Gonzagae compararetur. Qua de re hoc memoriae proditum invenio. Pius VII, Pontifex Maximus, quum Genuam venisset, atque e regiis aedibus, quas in via Balbia incolebat, Solarium adolescentem, in domo e regione sita, studio intentum conspexisset, adeo eius modestia est commotus, ut, brachio extenso, bene ei a Deo iterum iterumque silentio precatus sit.

Interim eximius adolescens, cui tot fausta auspicia praeessent, quum arctius se Deo obstringere iamdiu exoptaret, de nostra Societate amplectenda consilium iniit. At enim hanc veniam a matre, a qua plus anima diligebatur, impetrare non potuit. Qua de causa, nobili fuga ab ea secreto digressus, anno MDCCCXVII, Genuam, in domum Sancti Ambrosii inter nostros sodales se recepit. Facta demum a matre potestate, pietatis tirocinium inibi est exorsus, et Aloisio nomine sibi adscito, votum, quod iamdudum conceperat, libens merito persolvit. Quippe Aloisio Gonzagae, Caeliti Beato, pollicitus erat, Augustino nomine mutato, quo appellabatur, eius sibi nomen optaturum, si desiderio Societatis Iesu ineundae, quo aestuabat, aliquando esset potitus.

Ad pietatem excolendam totum se applicuit et a primis experimentis plurimos progressus effecit. Itaque contubernales in eum uti in exemplar intuebantur, quod imitarentur. Hos inter fuere Fridericus Torniellius, magnae nobilitatis et sanctitatis adolescens, et Petrus Viscardinius, qui postea tironum provinciae venetae magister adlectus, ad eos verba faciens, Solarii contubernalis sui virtutem, ac praecipue animi demissionem mundique contemptum commemorabat, celebrabatque. In his enim virtutibus religiosae perfectionis summam positam esse aiebat. Ea tempestate Solarius vehementissimo caritatis ardore erga sacrosanctum Cor Iesu flagrare coepit, ut neque mentem ab eo avertere posset, neque ullum cum ullo sermonem miscere, quin de Iesu amore, eiusque Cordis amantissimi divitiis verba faceret. Itaque a moderatoribus est admonitus, ut sibi temperaret. Hoc etiam tempore, quamquam sacerdotio nondum insignitus, orationem habuit in aede Sancti Ambrosii ad laudem Sancti Ignatii a Loyola, qua egregium pietatis et ingenii periculum fecit.

Tirocinio peracto, Augustam Taurinorum est missus, ut in

Collegio-Convictu Nobilium, quod Victorius Emmanuel I sodalium nostrorum fidei commiserat, rhetoricam profiteretur. At vero, paucis post mensibus, quam magisterium inierat, collegii moderatoribus aptior est visus grammaticae tradendae. Itaque hanc artem puerulos docere iussus, munus, pro ea qua praestabat animi subiectione, magna alacritate ac diligentia obiit, perinde ac non ex rhetore grammaticus, sed ex grammatico rhetor effectus esset.

Anno MDCCCXX decedente, a P. Mariano Petruccio, Societatis nostrae Vicario Generali, qui eum Genuae pietatis magister ad omnimodam virtutem aluerat, Romam est accersitus, ut eloquentiae praecepta, ad quam a natura comparatus praesertim videbatur, impensius perdisceret (1). Itaque Augusta Taurinorum profectus, quum Genuam venisset, ibi aliquot menses substitit, et Patris Cavazzae ductu, rhetoricae denuo operam dare coepit. Ineunte anno MDCCCXXI, quum Romam tandem se contulisset, Iosepho Petruccio, Mariani fratri, rhetori praeclarissimo, traditus est, ut, hoc duce, divini verbi praeco non modo pius, sed etiam perpolitus evaderet. At hominem opinio fefellit. Etenim Solarius, quo accuratius ad artem bene dicendi ex veterum praescripto instituebatur, eo citius, quum usus aderat, eandem obliviscebatur. Quippe divino motus ac paene abreptus instinctu, sermonem non ad hominum litteratorum, sed ad vulgi captum accommodabat. Quam ob causam, Neapolim est missus, puerosque rem grammaticam iterum docuit. Postmodum ad sacerdotium promotus, Beneventum contendit, ibique sacris ministeriis obeundis et animarum saluti curandae se penitus devovit (2). Hoc etiam tempore, quum iam inter sodales provinciae neapolitanae versaretur, in eiusdem provinciae iura est receptus.

Vixdum in sacram concionatorum aciem prodiit, expectationem, quam natu minor concitaverat, maior cumulate explevit. Nam alumnos Collegii Beneventani et cives omnigenos frequentissimis sermonibus ad religionem informavit, ut pietas ac boni mores ubique viguerint. Quam ob rem urbis Archiepiscopus, haec scripto retulit: « Cum primum Solarius super candelabrum luxit, atque eius vox audita est, virtusque spectata, adeo mota est multitudo, ut ubique in urbe eius virtus praedicaretur ». Incredibili animi ardore populum alloquebatur; atque inter di-

cendum ita in lacrimas erumpebat, ut aliorum fletum copiosissimum cieret.

Itaque nemo reperiebatur, quin eius dicto libentissime pareret. Odia tollebantur, componebantur dissidia, male parta restituebantur; aleae, tesserae lusoriae, libri obsceni, vel haeretica lue infecti, acervatim ante eius pedes proiiciebantur. Omnes ac praecipue aegroti, qui lecto decumberent, eum certatim expetebant, ut sibi admissa fatentibus aures vacivas praeberet, ac bene a Deo precaretur. Illud etiam praestabile: quod alii frustra assequi nitebantur, Solarius facili negotio obtinebat. Enimvero, Neapoli quum esset, hominem natione Maurum, Mahometi sectae addictum, quem nemo christianam religionem docere potuisset, brevi penitus erudivit, et lustrali fonte ab urbis Archiepiscopo, in templo principe, confertissima plebe adstante, expiatum, Iesu humani generis redemptori est lucratus.

Neque minus suae, quam aliorum saluti sempiternae vacabat. Quidquid a laboribus supererat temporis precationi impendebat. Plures saepe horas continentes coram Sanctissimo Eucharistiae Sacramento immotus perstabat et divinae Liturgiae preces, a sacerdotibus singulis diebus, statis horis recitari solitas, flexis genibus fundebat. Nunquam de altari libabat, quin antea noxas vel levissimas, in quas forte incidisset, rite ablueret. In caelestium rerum contemplationem se totum abdebat, atque olim, divina luce circumfusus, a solo elevatus, brachiisque extensis, a nonnullis visus est. Suavissimi Cordis Iesu, in quod, uti supra docuimus, studio ardentissimo ferebatur, cultum ubique propagavit, nilque magis expetebat, quam ut eius amore mortem oppeteret. Rogatus quondam ab amicis, ut palam exponeret quid potissimum cuperet, « Cupio, inquit, a carnifice in frusta discerpi pro Iesu nomine ». Quocirca ad Indorum *missiones* proficisci postulavit. Quo audito, nemini dubium fuit, quin Solarius, in iis remotissimis regionibus, Sancti Francisci Xaverii caritatis prodigia instauraturus esset.

Interea Alecium in Salentinos est missus; quorum in oris ita sodalibus ac populo se probavit, ut nihil supra. Quapropter P. Ioannes Roothaan, nostrae Societatis moderator supremus, eum prae ceteris delegit, quem ad Arabes catholica religione

informandos mitteret. Sed enim Solarius, quum eo tempore Beneventum venisset, letali morbo correptus, uti duobus ante mensibus aperte pronunciaverat, diem supremum confecit, annos natus quattuor et triginta.

Maximi ad eius funus hominum concursus, praecipue pauperum, sunt facti. Plurimi in lacrimas effundebantur; templum gemitibus personabat, omnesque ad eius cadaver vulgo expositum accedere contendebant, ut eius manus pedesque oscularentur, aut saltem piis corollis, quae Rosaria audiunt, contingerent. Complures etiam ad eius pedes accidebant, seque eius precibus commendabant. Fuerunt praeterea qui cereos ad sacram aedem miserunt, ut coram eo absumerentur. Quaedam nobilis aeque ac pia matrona, cui Solarius, ab ea enixis precibus exoratus, in somnis paullo post obitum apparuisse ferebatur, repente a morbo immedicabili, quo laborabat, convaluit. Alia ab eo sub exitum saeculi XIX prodigiose patrata enarrantur; quae Apostolicae Sedis iudicio, uti par est, expendenda relinquuntur. Nam omnia ab eo acta, dicta, scriptaque, iam collecta sunt, et Romam missa, quae a Sacrorum Rituum consilio rite dignoscantur. Itaque speramus futurum, ut Solarius serius ocius in Beatorum Caelitum album transcribatur (3).

NOTAE

(1) In vita Solarii Genuae evulgata, haec in pagina 183-184 referuntur a P. Venditio: « Il P. Solari da Torino, ove da un anno faceva la scuola di Grammatica, venne chiamato a Roma dal P. Mariano Petrucci: ciò fu nei primi mesi del 1821. Trascorso un anno in tale ufficio (di grammatico in Torino) il lodato Mariano Petrucci, stando in Roma nella qualità di Vicario Generale... ve lo chiamò etc. ». Haec omnia sunt corrigenda ad normam eorum, quae nos enarravimus. Nam Petruccius eo tempore iam Vicarii Generalis officio functus erat, neque alia amplius auctoritate valuit.

(2) In litteris Provinciae Taurinensis S. I., quas infra citabimus, haec leguntur: « Chiamato a Roma (il Solari) nel 1820, e ordinato Sacerdote, fu mandato a Napoli ». At vero Sacerdos est initiatus Neapoli anno MDCCCXXVI. Hoc constat ex tabellis annuis provinciae italicae Societatis Iesu.

(3) Quae de Solario narravimus ex his operibus deprompsimus:

1° *Memorie della Vita del Servo di Dio P. Luigi Maria Solari della Compagnia di Gesù*. Seconda edizione aumentata. Genova. Tipografia Arcivescovile, 1893, 12° pp. 251.

Hae conscriptae sunt a P. Benedicto Sanguinetio, S. Vincentii a Paulo sodale; editae vero a Ioanne Baptista Sanguinetio eius fratre; qui ambo cum Aloisio Solario consanguineitate coniuncti erant.

2° *Lettere della Provincia Torinese d. C. d. G.* Torino, Tip. Derossi, a. 1900 (pagina 263-268). *Il Servo di Dio P. Luigi Maria Solari...* Relazione del P. Luigi Persoglio.

3° *Cenni intorno alla Vita del P. Pietro Viscardini d. C. d. G.* Torino. 1899. Tipografia G. Derossi, (pagina 9-10).

ALOISIVS TAPARELLI AB AZEGLIO

II.

ALOISIVS TAPARELLI AB AZELIO

AUGUSTAE Taurinorum in lucem editus est, anno post Christum natum MDCCXCIII, parentibus, nobilitate, religione, opibus et rerum gestarum fama clarissimis. Senis, in Collegio Pio-Ptolemaeio a sodalibus Calasanctianis litteris est institutus, et in Athenaeo Taurinensi in severioribus disciplinis operam posuit. Quibus in omnibus progressus habuit copiosissimos, et quantus non modo in litteris ac scientiis, sed iis etiam in artibus, quibus a liberalitate fit nomen, in posterum esset evasurus, mature portendit. Nam et mechanicam, et artem pingendi egregie admodum didicit; quin et musicam coluit, ut novum postea instrumentum, cui *violicembalo* nomen italicum indidit, et graeco-latinum symphoniam, ingeniose excogitaverit, et affabre elaboraverit, quod a viris harmoniae peritissimis magnopere est dilaudatum (1).

Annorum decem septemque, ob generis claritudinem, iussu Napoleonis Magni imperatoris, cuius voluntati Subalpinorum natio tum temporis parebat, Lutetiam Parisiorum se contulit, atque inter alumnos Collegii Sancti Cyri inscriptus est. At enim, brevi post tempore, hinc est egressus, quod divino cultui arctius sese devovere constituisset. Itaque hoc consilio Taurinum iterum contendit, ibique in coetum adolescentum, cui nomen ab Amicitia christiana, est cooptatus, et ad sacras disciplinas animum advertit. In his adeo profecit, ut doctorem athenaei urbani, hae-

resim gallicanam publice propugnantem, ad silentium redegerit. Brunonis Lanterii, viri sanctissimi, qui Societatem Iesu singulari amore complectebatur, verbis permotus, de hac ingredienda consilium cepit. Quamobrem Romam properavit, ubi Caesar, eius pater, Victorii Emmanuelis I, Sardiniae regis, apud Pium VII, Pontificem Maximum, legati vicibus fungebatur; atque ab eo venia impetrata, in Societatem nostram, paucis ante mensibus ab eodem Pontifice orbi catholico restitutam, signa sua conferre non dubitavit. In religiosae vitae tirocinio contubernalem habuit Carolum Emmanuelem IV, memorati regis fratrem natu maximum, qui iamdiu regno avito se abdicaverat, et quo tutius regnum caeleste sibi pararet, apud nostros sodales ad Sancti Andreae in Montem Quirinalem se receperat.

Hoc loco non est praetereundum, Taparellii matrem, tum nobilitate, tum religione praestantem, cognita filii voluntate, acerbissimo doloris ictu perculsam esse. Nihilo tamen secius eum a proposito non deterruit, quin etiam, datis litteris, « Perge, inquit, fili mi, quo te Dei iussa vocant. In eius Filii Societate pedem siste: ibi optime manebis. Equidem si, nimio dolore abrepta, te domo abeuntem intercipere ausim, macte animo esto; atque illud ipsum in matrem praesta, quod olim sanctissima vidua Francisca a Chantallo in filium praestare non dubitavit, quum illum humi stratum, atque ostium occupantem, audacter transiliens, paene pedibus protrivit ».

Itaque adolescens, quem tot felicia omina comitabantur, quum prima religiosae vitae experimenta iniisset, sensim valetudine tentari coepit, ut in gravissimum morbum inciderit. Quam ob rem ad suos redire est iussus, quo citius convalesceret. Viribus redintegratis, in nostram Societatem est regressus eo maiore gaudio, quo propius metum res fuerat. Tirocinio circumacto, studia litterarum, ut nostra fert consuetudo, duce Iosepho Petruccio, magni nominis rhetore, recoluit. In his supra fidem profecit, ut Petruccius ipse adolescentis ingenium ac divitem venam admiratus, eum palaestrae suae decus appellaverit (2). Sed enim nimio usus nisu, iterum in morbum est implicitus, ut spem cursus studiorum explendi prope amiserit. Verum ingenii celeritate corporis infirmitatem sublevans, omnium expectationem

evicit, atque magnus philosophus et theologus brevi temporis lapsu effectus est.

Itaque sacerdotio insignitus, Novariam est missus, ut administri, dein rectoris auctoritate, Collegio Gallarinio moderaretur. Hoc eodem tempore, exeunte nimirum anno MDCCCXXII, non exiguam, nec porro inanem operam dedit, ut Camberii, quam in urbem, Allobrogum principem, hac de causa se contulerat, magnum collegium a nostris sodalibus statueretur (3). Rectoris officio Novariae perfunctus, atque ad religiosam professionem quattuor votorum merito evectus, Romam, anno MDCCCXXIV, est accitus, et Collegium Romanum, a Leone XII, Summo Sacrorum Antistite, nostris sodalibus iure postliminii restitutum, primus omnium regendum suscepit. Quo in munere, quum praeclara, tum prudentiae, tum doctrinae specimina edidisset, provinciae neapolitanae gubernandae praepositus est.

Hac obita provincia, Panormum in Siciliam contendit, et in collegio nostro diu constitit. Magnae laudi a doctissimis quibusque provinciae siculae sodalibus, praesertim vero a P. Aloisio Narbone, viro eruditissimo, est ei tributum, quod praecipuam operam posuerit in studiorum ratione reformanda; eandemque ad recentiorum vota, nostris legibus sartis tectis, egregie admodum accomodaverit (4). Quamquam, ob vocis ac pectoris imbecillitatem, publicas lectiones habere non poterat, tamen privatim philosophiam tradendo, collegio atque urbi maximo fuit emolumento ac decori. Ibidem otium copiosissimum nactus desiderio obsequendi suo, ad penitissimas philosophiae rationes expendendas totus incubuit; atque Aristotelis, philosophorum magistri, et Sancti Thomae Aquinatis, Doctoris Angelici, operibus pervolutandis, sedecim ferme continentes annos, animum adiecit. Itaque, pro ingenio, quo pollebat acerrimo, in re philosophica quam longissime processit; et qui magnus antea philosophus censeretur, maximus postea est habitus, et longe alius atque antea esset, sibi suisque visus fuit.

Tum vero potissimum cognosci licuit quanto praesidio ei fuerit studium philosophiae, quam scholasticam dicunt, quum scilicet clarissimum illud, ac numeris omnibus absolutum opus litteris consignavit, quod inscripsit: *Saggio teoretico di Diritto*

Naturale. Etenim non modo princeps, sed quasi parens philosophiae, quam *Socialem* appellant, praedicatus est, et maximis ubique gentium laudibus concelebratus. Hinc etiam est effectum, ut alumni, quos Taparellius in Sicilia ad sapientiam effinxit, plurimo apud omnes in honore essent; quique adhuc supersunt, et in huius insulae athenaeis rem philosophicam profitentur, optime audiant, excellentissimi habeantur, et digito commonstrentur (5).

Taparellius igitur quum tantae sapientiae, tantique nominis esset, anno MDCCCL inter scriptores commentariorum, qui a *Civilitate Catholica* sibi nomine invento, tum primum Neapoli erant invulgandi, est cooptatus. Complura omnino opera in iisdem ephemeridibus conscripsit, et in vulgus emisit. Omnium opinione ceteris praestant, quibus titulos fecit: *Esame degli Ordini rappresentativi, — Dell'Economia Sociale, — Del Bello*. Quidquid ipse affirmat, a primis iisque firmissimis principiis, legitimo rationis processu et continenti argumentationis nexu ducit, ut nullo prorsus modo infirmari possit. Aliorum vero opiniones, inverso ordine, ad ea principia, a quibus singulae manant, revocat, deque iis sententiam fert huiusmodi, ut nemo, nisi insanus, infitias eat. Quapropter quod nominis decus collegae ad annum usque MDCCCLXII sibi peperere, ei iure acceptum magna ex parte retulerunt. Nam eo ipso anno Taparellius Romae e vivis est sublatus.

Vir fuit religiosissimus, et ob eximiam pietatis opinionem, qua cunctis domi forisque in exemplum effulgebat, omnium sibi benevolentiam atque existimationem adiunxit. Enimvero Panormi quum degeret, dum civitas morbo asiatico laborabat, caritatis igne aestuans, aere collecto, amplam domum paravit, in quam lue afflatos recepit, iisque, male firmus et ipse, continenter affuit praesens, eosdemque omnigeno solatio recreavit. Quo egregio facinore tota civitas est commota, omniumque animos stupor opplevit. Animi etiam demissione plurimum enituit. Vir omnium opinione longe doctissimus, se nullius usus hominem appellabat, neque praedicari ac nominari aequo animo patiebatur. Sermones vero coram eo habere, qui ad laudem aperte pertinerent, idem erat ac gravissimam ei contumeliam inferre, malamque eius

nomini notam inurere. Ad hoc sua ipse scripta iunioribus collegis ultro dignoscenda tradebat, eosque, perinde ac si discipulus foret, enixe rogabat, ut quae minus probarent, transverso calamo oblinere ne vererentur. Tempus a scribendo vacuum animarum saluti, vel concionibus, vel piis Beati Patris Ignatii commentationibus privatim tradendis, insumebat. Quibus in muneribus, nobilitate eloquii et sententiarum gravitate, ingenium ac pietatem comprobabat suam. Etenim, si vocis robur et laterum firmitas affuissent, nihil omnino, communi opinione, defuisset, quin summus orator evaderet.

Religiosae paupertatis servantissimus, et nihilo minus munditiei retinens, veste detrita libentius utebatur; qua indutus, etiam in publicum prodibat. Cuidam vero e sodalibus monenti, eum hac de causa a praetereuntibus irrideri: « Annos, inquit, amplius quadraginta, *mundus* irrisui mihi fuit. Aequum est igitur et me quandoque *mundo* risum movere ». Id porro eo maiorem admirationem excitabat, quo Taparellius praestantiore corporis forma a natura comparatus erat. Nimirum statura excelsa, incessu gravi, ampla fronte, oculis vegetis, naso instar aquilae adunco; atque adeo generis nobilitatem, animi magnitudinem et ingenii excellentiam vultu prae se ferebat, ut qui in eum oculos intenderent, Dantis Alighierii lineamenta ab eodem referri dictitarent

Deo continenter inhiabat, quod nihil magis expeteret, quam ut ad fontem sapientiae, quam alte animo imbiberat, propius accederet. Itaque diem supremum adventantem imperturbato vidit animo, piasque preces dictavit, quas sibi, quum mors in foribus adesset, recitari cupiebat. Munera suprema sunt ei persoluta in templo Ludovisiano, inhumatusque est apud cineres Sancti Aloisii Gonzagae, cuius nomine, quo die Societatem Iesu est ingressus, appellari voluit. Nam ad Fontem sacrum Prospero ei nomen a parentibus inditum fuerat. Obiit flebilis cunctis, et nulli flebilior, quam sodalibus et collegis; sed eius pietatis, ingenii ac doctrinae fama nusquam gentium est obitura (6).

OPERA EDITA

1° *Cenni elementari di Grammatica francese per uso dei giovinetti.* Palermo, 1838, 12°.

2° *Saggio teoretico di diritto naturale appoggiato sul fatto, del P. Luigi Taparelli d. C. d. G.* Palermo, Stamperia d'Antonio Muratori, 1840-41, 12°, Vol. 2.

Hoc opus pluries est editum, et germanice et gallice versum.

3° *Sul Ragionamento del Sig. Antonio Ranieri, del modo di considerare le azioni umane rispetto alla Coscienza ed alla Storia d'Italia, etc.* Bruselle (data falsa 1841, publicato nel 1842) 8°, pp. 28. — ad finem: Estratto dal *Giornale della Biblioteca Cattolica.* — In ephemeridibus: *La Scienza e la Fede* (Napoli, 1842) tomo IV, pp. 321-328, 401-412.

4° *La Scienza e la Rivelazione.* 8°, pp. 13. In ephemeridibus (ut supra) tomo VI, pp. 161-174.

5° *Corso elementare di natural diritto ad uso delle scuole.* Napoli, 1843, 12°.

Hoc opusculum saepius est evulgatum, nomine auctoris praefixo, et redditum hispanice et gallice.

6° Sopra un articolo della *Revue des deux Mondes* intitolato *La Philosophie Catholique en Italie* inserito nel vol. V, anno XIV, e a. 8°, pp. 27. Estratto dal *Gerofilo Siciliano.* Palermo, ann. I°, vol. I, fascicolo I, Maggio, 1845.

7° *La Preghiera cattolica considerata in ordine alla Civiltà dei popoli. Ragionamento del Reverendo Padre Luigi Taparelli della Compagnia di Gesù, Professore di Filosofia nel Collegio di Palermo, letto nell'Accademia di Religione Cattolica il giorno 9 luglio 1846.* Roma, Tipografia delle Belle Arti, 1846, 8°, pp. 46.

8° *Sulla Teoria di Kant intorno alla Società religiosa, per Luigi Taparelli d. C. d. G.* 8°, pp. 43. In prima pagina scriptum invenitur — Articoli due estratti dalla Raccolta Religiosa *La Scienza e la Fede*. Vol. XIII, 1847.

9° *Della Nazionalità, breve Scrittura del P. Luigi Taparelli d'Azeglio della Compagnia di Gesù.* Genova, Tipografia dei Fratelli Ponthenier, presso Pietro Rattin, 1847, 8°, pp. 38. Pluries editum.

10° *Sulla libertà d'associazione.* Palermo, 1848, 8°.

11° *Della sovranità del popolo. Conversazioni politiche ad uso del popolo stesso.* Firenze, 1849, 8°.

12° *Poche parole al R.do P. M. Galeotti.* Palermo nel Iarini, 1849, 8°.

13° Dissertationes edendas curavit in commentariis *La Scienza e la Fede* (Napoli, 1836): in his refellit opus Francisci Pauli Perez, cui titulus est factus *Idee sulle popolazioni di F. P.* Palermo, 1836, 8°.

14° Lettere XII in risposta a quelle di Franc. Forti sulla Direzione degli studi in Italia, stampata a Ginevra 1843; item in ephemer. *l'Univers, 15 Avril, 1853.*

15° *La Filosofia Cattolica in Italia* traduzione d'un articolo del Ferrari nella *Revue des deux Mondes* con note di Ben. Castiglia; nell'*Osservatore*, Giornale di Palermo, 1844, T. I, pp. 144, 217, 262.

16° *Sullo stato del Cattolicismo in Russia;* nel *Gerofilo Siciliano*, 1835, T. I.

17° *Funzione pacifica del Clero nel pubblico movimento; L'organismo e lo Spirito nella Società;* dissertationes variae in ephemeridibus *L'Eco di Firenze*, 1849.

18° *Discorso in onore dell'Apostolo Paolo, recitato nella Pia unione del Clero romano sotto l'invocazione di esso Apostolo delle genti, il dì 27 Gennaio 1851.* Roma, Tipografia delle Belle Arti, 1851, 8°, pp. 21. Pluries editum.

19° Epistola ad *L'Ami de la Religion, Rome 5 Avril 1853,* in T. 160, pp. 103-105, et in ephemer. *l'Univers, 15 Avril, 1853.*

20° *Esame critico degli Ordini Rappresentativi, nella Società Moderna, per Luigi Taparelli d. C. d. G.* Roma, Tipografia della *Civiltà Cattolica*, 1854, 8°, 2 Vol. pp. XLIV-1174. Invulgatum fuerat primitus in ephemeridibus cognominibus. Hispanice est versum.

21° *Le Ragioni del Bello secondo i principii di S. Tommaso.* Roma, 1860, 16°. Excerptum ex iisdem ephemeridibus et hispanice etiam redditum.

22° Dissertationes (italice *Articoli*) in commentariis edidit, quibus nomen *La Civiltà Cattolica*. En tibi praecipuarum tabellam, quam ex *Bibliotheca (Scriptorum) Soc. Iesu* a Sommervogelio edita deprompsi:

Serie I. — Teorie sociali sull'insegnamento. T. I, p. 25, 129, 257, 259.
Dov'è l'idea? Appendice al Dialogo sulla Invenzione di Alessandro Manzoni. T. VI, p. 129-145.
Aristocrazia del partito e pauperismo. T. VIII, p. 473-491.
Gli Ospiti di Casorate, ossia sopra la Nazionalità. T. XII, p. 21, 148, 275, 507, 648. — Serie II, T. I, p. 113.
Le due Filosofie. T. XII, p. 309, 481, 626.

Serie II. — Il potere coattivo della Chiesa. T. XII, p. 593. T. VIII, p. 36, 272.
L'Aristocrazia degli ingegni, della capacità, del diritto. T. X, p. 508, 622. T. XI, p. 497. T. XII, p. 129, 257, 369.
L'autorità spiegata dagli Scolastici. T. XI, p. 593. T. XII, p. 39, 520.

Serie III. — Gli Economisti e la legge piemontese sopra l'usura. T. I, p. 358. T. VII, p. 180, 272. T. X, p. 528.
Le due Economie. T. II, p. 609. T. III, p. 257, 465, 611. T. IV, p, 397.
La Proprietà ed il Comunismo. T. V, p. 269, 386, 547.
La guerra dei capitalisti contro la proprietà. T. VI, p. 170, 267.
La proprietà stabile; la proprietà secondaria, e le mani morte; la proprietà nel Cattolicismo. T. VI, p. 417, 611. T. VIII, p. 17.
Analisi critica dei primi concetti di Economia. T. VIII, p. 546. T. IX, p. 17. — Serie IV. T. II, p. 641. T. III, p. 629.
La Ricchezza nell'Economia Sociale. T. IX, p. 270.
Il Valore e l'equivalenza nell'Economia; la moneta; il credito; il credito publico. T. IX, p. 401. T. X, p. 129, 271, 285.
L'Economia eterodossa alle prese col pauperismo. T. XI, p. 144.
Congresso per la proprietà letteraria. T. XI, p. 531, 690, T. XII, p. 147.

Serie IV. — La libertà al tribunale della Chiesa. T. I, p. 129, 275, 673.
La Ricchezza e gli agenti di produzione. T. III, p. 401, 529.
La libertà in Economia. T. VIII, p. 33, 159, 414.
I corpi morali sotto l'influenza della libertà economica. T. VIII, p. 649.
Il Centralismo. T. IX, p. 257.
I limiti della libertà economica. T. X, p. 556, 695. T. XI, p. 144, 270, 542.
La piena libertà del commercio. T. XII, p. 540.

Serie V. — Indirizzo di future trattazioni economiche. T. I, p. 146.
La Beneficenza. T. II, p. 15, 166, 641. T. III, p. 148. T. IV, p. 37, 425, 672. T. VI, p. 82, 163, 531. T. VII, p. 39.
L'Episcopato Cattolico in Roma nel 1862. T. II, p. 514, 718.
Chiesa libera in libero stato. T. III, p. 257, 400.

Alias etiam dissertationes Taparellius edidit in iisdem commentariis de ea scientia, quam Oeconomiam socialem appellant.

Gli Esercizi Spirituali e la Civiltà moderna. Serie II (1853) T. I, p. 465-80. Haec etiam dissertatio, ex opinione P. Molzae, Taparellio est tribuenda.

23° Magno numero recognitiones *(riviste della stampa)* in iisdem ephemeridibus Taparellius evulgavit, de quibus Sommervogelius nullam mentionem facit. Saltem praecipuas ob oculos tibi pono:

Serie I. — Bolgeni. *Dissertazione sui limiti delle due podestà.* II, 460.
Nallino G. A. *Del sentimento.* III, 43. IV, 77.
Cividella G. M. *Trattato di Etica.* III, 54.
Lambruschini R. *Dell'istruzione elementare.* III, 157.
Storia della vita del P. Odescalchi. III, 163.
Galeotti. *Considerazioni politiche sulla Toscana.* IV, 90.
Oridi F. *Opuscoli politici.* IV, 206.
Della natura e carattere essenziale dei Concordati. IV, 665.
Luquet G. *Dei pericoli presenti della società.* IV, 667.
Cavazzoni Pederzini. *L'opinione e la stampa.* IV, 672.
Le opinioni che agitano il nostro secolo. V, 235.
A. Manzoni. *Opere varie.* V, 678.
Fénélon. *Saggio filosofico sul governo civile.* VI, 374.
Balmes. *Il protestantesimo comparato al cattolicismo.* VI, 354.
Gatti G. *Cleropedia sociale.* VII, 87.
T. Mamiani. *Sul Papato.* Lettera ortodossa. VII, 338.
L. Lambillotte. *Antiphonaire de Saint Grégoire.* VIII, 82.
Melegari. *Un bicchierin di vermouth alla sua salute.* VIII, 89.
L. Parola, V. Botta. *Del pubblico insegnamento in Germania.* VIII, 655.
Beauseaut. *Lettres. Études de philosophie sociale et politique.* IX, 68.
F. Sclopis. *Degli stati generali e d'altre istituzioni politiche del Piemonte e della Savoia.* X, 78.
Momo G. *La vera socialità.* X, 307.
C. De Angelis. *Saggio di argomenti filosofici a prova della compatibilità della coazione materiale colla spirituale legislazione della Chiesa.* X, 683.

Serie II. — G. Bertini. *Idea d'una filosofia della vita.* I, 69.
G. Audisio. *Iuris naturae et gentium privati et publici fundamenta.* I, 313, 542.
Solaro della Margherita. *Avvedimenti politici.* III, 72.
G. Royer. *Delle cose divine.* III, 94.
A. Marescotti. *Sugli economisti italiani del nostro secolo.* III, 420.
A. De Giorgi. *Saggio sui principii fondamentali del diritto filosofico.* III, 550.
A. Casati. *Milano e i principi di Savoia.* III, 560.
G. Montanelli. *Memorie sull'Italia.* III, 666.
G. Boccardo. *Trattato teorico-pratico di economia politica.* VII, 269.
Le opere di C. Beccaria precedute da un discorso di P. Villari. VII, 394.
V. Petra. *Sull'odierna musica italiana.* VII, 537.
Bartoli Avveduti A. *Che cosa è il diritto.* VIII, 88.
Gaspari L. *Fisiologia degli errori politici moderni.* VIII, 307.

Farini L. C. *Storia d'Italia*. VIII, 419.
Della Valle C. *Prospetto filosofico della storia del mondo umano*. VIII, 683.
P. C. Boggio. *La Chiesa e lo Stato nel Piemonte*. IX, 310.
Del Montesquieu. IX, 432.
Stahl F. G. *Storia della filosofia del Diritto*. IX, 435.
T. Campanella. *Opere*. X, 444.
F. Ladelci. *Principii fondamentali della patologia e della terapia*. X, 464.
G. Montanelli. *Memorie sull'Italia*. X, 672.

Serie III. — C. Balbo. *Della storia d'Italia*. II, 429.
L. Cibrario. *Origine e progressi delle istituzioni della monarchia di di Savoia*. III, 81.
Solaro della Margherita. *Discorso alla Nazione*. IV, 333.
F. Ranalli. *Storia delle Belle Arti in Italia*. IX, 188, 709.
G. A. Biaggi. *Della musica religiosa o delle questioni inerenti*. IX, 208.
Roselly de Lorgues. *Vita di Cristoforo Colombo*. IX, 468.
G. P. Calvi. *Istruzioni teorico-pratiche per organo*. IX, 472.
F. Taccani. *Storia dell'architettura in Europa*. X, 327.
Lo Spettatore *di Firenze dal 7 marzo al 16 maggio 1858. Risposta del Ranalli alla* Civiltà Cattolica. X, 609.
Ferrero Ponziglione V. *Le mene elettorali*. XI, 216.
F. Guicciardini. *Opere inedite*. XII, 67, 576.

Serie IV. — E. Romano. *Del reggimento dei Principi*. I, 449.
M. Minghetti. *Della economia pubblica*. II, 572.
L. Torelli. *Dell'avvenire del commercio europeo*. V, 226.
A. Peyron. *Dei governi federativi della Grecia*. V, 337.
F. F. *Qual sarà l'avvenire dell'umanità?* V, 718.
Solaro della Margherita. *Sull'annessione di alcuni Stati alla Monarchia e sulla cessione di Savoia e Nizza*. VI, 318.
Una questione preliminare al parlamento torinese del Conte Avogadro della Motta. VI, 318.
V. Arnò. *Nuovo sistema di tastiera e musicografia*. VIII, 217.
F. M. Zinelli. *Lezioni sui varii libri dei Maccabei*. VIII, 729.

Serie V. — C. Cantù. *Beccaria e il Diritto penale*. IV, 73.
Felix. *Il progresso per mezzo del Cristianesimo*. V, 85.

Reliquas dissertationes et recognitiones Taparellii relatas invenies in Indice generali ephemeridum *La Civiltà Cattolica*, quo Indice non praestantior alter; quandoquidem Iosephus Del Chiaro, eius auctor, omne aevum earundem ephemeridum ausus est tribus explicare chartis, accuratis oppido et laboriosis.

NOTAE

(1) Videsis *La Civiltà Cattolica*, Serie V, Vol. I, p. 484. Horum commentariorum haec verba de hoc instrumento iuvat afferre: « La Commissione Pontificia, incaricata di scegliere gli oggetti da mandarsi all'Esposizione di Londra, anche al *Violi-cembalo* ha conceduto l'onore di tal destinazione. E ve lo confortava il suffragio di uno di quegli uomini, il cui genio trascendente rende la loro sentenza poco meno che decretoria nella specialità onde si resero insigni. È questi il commendatore Liszt, ciambellano di S. A. R. il Duca di Sassonia. Egli ha tal riputazione in Europa, che tra i filarmonici, se potrà trovare competitori (che non sappiamo), non troverà certo chi gli sovrasti ». Hic autem, Taparellio annuente, novum instrumentum appellavit *symphonium*, non vero *symphoniam*, uti nos scripsimus.

(2) Iosephi Petruccii asservantur in tabulario Provinciae Taurinensis S. I. epistolae latinae ad normam epistolarum Horatii Flacci conscriptae, quae nondum, quod equidem noverim, typis sunt editae. Harum una, ad Bonvicinium, rhetorem Tiburtinum data, haec de Taparellio habet;

En tibi, Bonvicine, vetus comes, humida vitans
Flabra Noti, ...
. . . . . Tibur petiit Taparellus amoenum.
Ut caelo meliore fruens, et mitibus auris.
Corpori inhaerentem possit depellere morbum.
Quem florentem olim nosti vernante iuventa,
Pallentem aspicies nunc, et sine sanguine vultum:
Ast idem manet illi animus, morumque venustas.
Quaeque erat Aonidum dulces expromere foetus
(Grandia seu malles in carmina surgere, versus
Seu bene tornatos, et tam bene fingere comptos,
Incudi rursum resonae quos reddere nolis)
Cura manet: studiis sed mentem intendere morbi
Vis prohibet, maciesque malo comes addita morbo.
Nec desunt, qui me incusent, velut ardua Pindi
Per iuga qui iuvenem impulerim acrius ac animi vis
Corporis et nondum firmi pateretur: at ultro
Quis currentis equi fodiat calcaribus armos
Ni demens? ipsum si percontere, docebit
Veram, qui nunquam mendax est cognitus ulli.
Te causam morbi, meque omni crimine solvet.
. . . . . .

Altera vero, ad ipsum Taparellium missa, haec continet:

Non, ut rescribas scribenti aegrotus amico,
Hoc tibi epistolium mitto, Taparelle, medentum
Cui nondum ars totum discussit corpore morbum,
Scribendoque pares revocarunt pharmaca vires,
Seu tenui scripsisse stilo, numerisque soluto,
Grandia iam Tulli. . . . .
Seu te carminibus garrit quae Musa pedestris,
Claudere sermonem ritu delectet Horati.....
Utraque res paucis, numero quos Pallas ab omni
Secrevit, concessa, rudique negata popello.
Hos inter paucos, linguae cum divite vena
Ingenium dedit illa tibi mitissima sollers,
Iudiciumque acre. . . . .
Haec tibi dictabam, magna stipante caterva
Me iuvenum, comitum quondam, Taparelle, tuorum,
Non animi magna sine cura solus abesses,
Quod Loiolaeae tu gloria prima palaestrae.

(3) Ex historia Collegii Camberiensis, quae manu scripta asservatur in tabulario Prov. Taur. S. I.

(4) Ex Epistola Aloisii Narbonis ad Henricum Vascum, quae est in tabulario Prov. Taur. S. I.

(5) Hoc rescivi a Vincentio, fratre meo, in athenaeo Catanensi historiae tradendae doctore decuriali.

(6) Quae praecipua de Taparellio enarravi ex ephemeridibus *La Civiltà Cattolica* deprompsi. Serie V, Vol. IV, pag. 92-101, 385-404, 545, 564. Serie X, Vol. XI, pag. 89-94. Alia quaedam ex tabulario provinciae Taurinensis S. I. sunt desumpta; nonnulla denique ex opere, cui titulus: *Della vita del servo di Dio Pio Brunone Lanteri..... scritta dal sacerdote Pietro Gastaldi.* Torino, Pietro di G. Marietti, 1870.

IOANNES PERRONE

III.

IOANNES PERRONE

Tametsi huius viri laudes assequi non possum, quod eius nomini nullum par est elogium, persequar tamen. Cherii natalem diem est sortitus in Subalpinis, anno reparatae salutis MDCCXCIV. Pietate et ingenio iam inde a puero effloruit, et aequalibus antevertit. In re litteraria et philosophica liberalissime institutus est, tantaque, in ea addiscenda, diligentia et celeritate est usus, ut, quindecim annos minor natus, utriusque stadii curriculum egregie emensus sit. Itaque Augustam Taurinorum extemplo est missus, et in maximo athenaeo doctrinis theologicis ceterisque disciplinis, quae theologiae ornamenta, quasique phalerae censentur, operam navavit. Quas omnes cumulatissime est assecutus, adeo ut condiscipuli ac praeceptores iamtum vulgo praedicarent quantus erat in praesens, et quantus in posterum evasurus esset animo praeciperent. Quamquam undevicesimum aetatis annum nondum exegerat, doctoris theologi laurea cunctis plausibus est donatus.

At vero, quod non minus animum pietate, quam ingenium doctrina excoluerat, non iam mundo famulari, sed Christum sequi, eiusque vestigiis pressius inhaerere constituit. Itaque hoc consilio, anno MDCCCXV, Romam venit, et nostrae Societati nomen dedit. Annum omnino unum in pio tirocinio ad S. Andreae in Monte Quirinali quum explevisset, et moderatoribus virtutem

suam satis superque probavisset, Urbemveterem, nondum sacerdotio initiatus, properare est iussus, ubi sacrae theologiae tradendae munus sibi descriptum obiret. Hac in urbe ad aram primum est operatus, et docendo septennium magna cum laude contrivit. Hinc Romam revocatus, sodalibus nostrae Societatis, et Collegii Germanici alumnis eandem ipsam disciplinam est interpretatus, quam ita se tenere iamdiu probaverat, ut nullis aetatis suae doctoribus concessurus videretur.

Interim Athenaeum Gregorianum a Leone XII, Pontifice Maximo, nostrae Societati quum restitutum esset, et singulis magisteriis explendis probatissimi quique doctores essent deligendi, P. Aloisius Fortis, eiusdem Societatis praepositus generalis, munus theologiae dogmata explanandi Ioanni Perrono iure merito demandavit. Qui ad septem annos hanc sibi creditam provinciam felicissime gessit, ut maiores ad eum in dies concursus fierent, eiusque doctrinae fama urbem totam impleret (1).

Subinde collegio Ferrariensi regundo est praepositus; simulque lectiones de Theologia morum ad Clerum urbanum habuit. Quibus in officiis, tum sodalibus, tum auditoribus acceptissimus exstitit. Triennio circumacto, Ferraria a perduellibus contra fidem promissi una cum suis eiectus, Romam iterum est accitus, ibique, uti antea, ita postea magni fuit opera eius. Quas enim eruditissimas lectiones de dogmatum Theologia tradere consueverat, has plurimo reipublicae christianae emolumento publicas fecit. In omnibus fere sacris ephebeis usurpari sunt coeptae, laudibus elatae, eoque vivo, quadragies, et si quid amplius, prelo librario sunt commissae.

At enim, anno MDCCCXLVIII, homines flagitiosissimi, non libertatis adsertores, uti profitebantur, sed eversores, tota Italia, quin etiam tota Europa, ac Romae praecipue, iura omnia humana et divina miscere coeperunt, ut ad omne nefas proruperint, atque ipsum Summum Pontificem secreto ab Urbe excedere, et Caietam se recipere ad salutem adegerint. Tum vero cognosci licuit, quantum sibi praesidii in animi religione Perronus posuerat. Nonnulli enim fuere, qui maximis propositis honoribus, eum enixe sint cohortati, ut nostrae Societati valediceret. Porro vir sanctissimus ab Italia exulare maluit, quam

Deo fidem fallere, atque Societati nuncium remittere, in quam, veluti in matrem, ab ipsa adolescentia studiosissime ferebatur.

Itaque quum in Anglia perfugium nactus esset, acceptum detrimentum sarcire, quin etiam in bonum vertere studuit. Ad hoc sodalibus nostri Ordinis sacram Theologiam explanandam suscepit. Praeterea eum anglicae haeresis doctoribus, qui, eius fama permoti, eum auditum et consultum adibant, crebra colloquia de religione catholica, ac praesertim de Romani Pontificis auctoritate, habere coepit, quo, discussis errorum tenebris, ad veritatis lumen propius accederent. Haud facile dixerim, quanto iisdem fuerit incitamento. Nemo unus ab eo discessit, quin de ipso amicissime sentiret, et de romana ecclesia sanctissime iudicaret.

Exeunte illo qui secutus est anno, rebus in Italia iterum salvis, et Pio IX, Gallorum ope, Urbi ac regno subinde restituto, Perronus tanto cum gaudio Romam est regressus, ut sibi tum demum natus videretur. Illico ad pristinum docendi munus rediit, et triennio exacto, rector Collegii Romani est creatus. Quo obito officio, studiis moderandis et studiorum speciminibus eodem in collegio excipiendis praefuit perpetuo. Ad tardam senectam devenit, et anno christiano MDCCCLXXVI, migravit e vita in oppido Castro-Gandulfo.

Opera conscripsit ediditque plurima, ut infra patebit, quae pluries, eo vivo, sunt excusa, et in multos sermones translata. Quae *De Infallibilitate romani pontificis — De Immaculato Virginis Conceptu — De Divinitate Christi* inscribuntur, atque illud imprimis, cui titulum fecit *De Matrimonio christiano* reliquis praestare censentur. Docendi modo utitur bene disposito, perspicuo, iisque argumentis potissimum innititur, quae auctoritate fulciuntur. His itaque de causis, et ob eruditionem copiosissimam, reconditam et a legitimis fontibus deductam, eius docendi ratio in praesentia accidit peridonea, et acceptissima cunctis.

Perronus in complures coetus academicos est cooptatus et Leoni XII, Gregorio XVI, et imprimis Pio IX, summis Pontificibus, carus fuit, ut qui maxime. Hic, datis brevibus litteris, plurima eum laude condecoravit. Quin et epistolam manu sua conscriptam ei misit, qua suam in eum egregiam voluntatem, et

grati animi sensa testatus est. Praeterea consultorem eum complurium Sacrarum Urbis Congregationum et Theologum Pontificium in Episcoporum conventu, immaculato Deiparae conceptui definiendo, et in Concilio universali, quod anno MDCCCLXX in aede Vaticana haberi est coeptum, honorificentissime constituit. Eundem denique ad honorum fastigium evehere non dubitavisset, nisi hominis modestia, qui se Ecclesiae Dei non usui, sed oneri esse arbitrabatur, perpetuo obstitisset (2).

Plerique etiam, vel Purpurati Patres, vel Episcopi, antistites, ac primores sacrorum, quorum bene multi ab eo disciplinis theologicis instituti erant, maximis eum honoris significationibus sunt prosecuti. Qui autem viri doctissimi Romam peregre adveniebant, non inde prius abibant, quam eum inviserant, et de gravissimis Theologiae controversiis consuluerant. Quum per urbium vias transibat, uti princeps aevi sui theologus praetereuntium digito passim monstrabatur, et hoc amplius eum omnes admirabantur, suspiciebantque, quod hominem oculis humi defixis modesteque incedentem conspicerent. In morem enim habebat, (quandoquidem et hoc, pro re nata, praestat referre, aliquo sodale sibi comite dato, quotidie, statis horis, valetudinis ergo, sub quovis caelo, deambulatum ire, dicere solitus: « Melior est deambulatio pessima, quam nulla ». Hac etiam de causa vitam quam longissime produxit.

Inter eius virtutes commemoratur pietas in Virginem Deiparentem, labe primaeva expertem, quam a teneris impense admodum coluit, et sospitem sibi praesentissimam perpetuo sensit. Quare, ut gratiam ei quantam maximam referret, disputationem in vulgus edidit, qua eius immaculato conceptui definiendo praeivit. Insuper eiusdem cultum inter alumnos sodalitatis Marianae principis, cui moderandae diu praefuit, magnopere fovit. Ardentissimo in Summos Pontifices amore flagravit, quorum in fide usque ad vitae exitum studiosissime permansit. Itaque nil carius antiquiusque continenter habuit, quam ut eorum causam, qua voce, qua scripto, strenue ageret, atque in eorundem conspectu, perinde ac filii ante ora parentum, suam iis alacritatem probaret.

Vita functo, sollemni pompa, in templo Sancti Ignatii, So-

cietatis Iesu Patris legiferi, apparatissime ornato, memoratae Sodalitatis marianae alumni, grati animi ergo, parentaverunt. Funeri interfuere Sacrarum Urbis Congregationum consultores, collegiorum doctores et alumni, uterque clerus, optimates et proceres quamplurimi, et maxima vulgi frequentia. Ioannes Baptista Bonellius, Franciscalium communis observantiae procurator generalis, ad Sanctorum duodecim Apostolorum curio maximus, orator sui temporis eloquentissimus, luculentissima Perronum laudatione pro suggestu honestavit. Item P. Antonius Angelinius, eius discipulus et sodalis, titulorum condendorum scientissimus, inscriptiones latinas ad eiusdem laudem concinnavit, quae templi fores, parietes et pegma funebre exornarent.

Hae sunt huiusmodi:

I.

IOANNES · PERRONIVS
E SOCIETATE IESV
DOMO · CHERIO · IN · SVBALPINIS
SACRIS · DISCIPLINIS
QVAS · IN · COLLEGIO · ROMANO · TRADIDIT
PVRIORES · FIDEI · FONTES · AVDITORIBVS · MONSTRAVIT
EAMQVE · AB · ANTIQVIS
ET · RECENTIBVS · HERMESII · ET · GVNTHERI · ERRORIBVS
VINDICAVIT
MATRIS · DEI · MARIAE · CONCEPTVI · IMMACVLATO · SANCIENDO
EDITA · IN · VVLGVS · DISPVTATIONE · PRAEIVIT
IN · CONCILIO · VATICANO
CVI · PONTIFICIVS · DOCTOR · INTERFVIT
PONTIFICES · MAXIMOS · IN · FIDEI · MORVMQVE DOCTRINA
INERRANTES · ASSERVIT · IMPVGNANTIBVS · RESTITIT
VNVS · ILLI · AMOR
CHRISTI · DEI · RELIGIO
VNVM · OPVS
RELIGIONIS · DEFENSIO
VNA · VOLVPTAS
RELIGIONIS · INCREMENTVM
PVRITER · PIE · ACTVOSE · TRADVCTAE · VITAE · PRAEMIVM
MORIENS · TVLIT · SPEM · CAELESTIVM
AD · QVAE · LAETVS · DEMIGRAVIT · V · KAL. · SEPT. · A. · MDCCCLXXVI
A. · N. · LXXXII · M. · V · D. · XVII
HAVE · HAVE · ET · VALE
PATER · SVAVISSIME
VIVE · IN · CAELIS · MEMOR · SODALIVM (*)

(*) Edita Romae, Mutinae et Matriti, anno MDCCCLXXVI.

II.

IOANNI · PERRONIO
E · SOCIETATE · IESV
QVEM · SACRAE · DISCIPLINAE · IN · ROMANO · COLLEGIO
TVTOREM · ET · VINDICEM · HABVERVNT
QVIQVE · INGENII · OPES · STVDIO · ET · LABORE · CONGESTAS
AD · REI CHRISTIANAE · DECVS · ET · PRAESIDIVM · CONTVLIT
SODALITAS · MARIANA · PRINCEPS
MODERATORI · SVO
IVSTA · PERSOLVIT (*)

III.

PRAESTANTIVM · VIRORVM
QVI · DOCTRINAE · LAVDE · IN · ROMANO · COLLEGIO
FLORVERVNT
MEMORIAM · ET · LAVDES
RENOVAVIT · ET · AVXIT

IV.

ERAT · IN · EO
PLVRIMA · ERVDITIO
NON · VVLGARIS · SED · ELECTA · ET · RECONDITA
PVRIS · E · FONTIBVS · HAVSTA
AD · ERRORES · COARGVENDOS · PERVTILIS

(*) In edito libello Auctor huic inscriptioni hanc notam subiecit: « Volli rendere al caro Maestro P. Giovanni Perrone questo tenue tributo di riconoscenza e di amore ».

V.

PERRONIO · LAVDI · DANDVM · EST
QVOD · SENTENTIAM · NITIDE · EXPLICARET
AVDITORVM · ANIMIS · ADMOVERET
ARGVMENTIS · AD · PROBANDVM · FIRMIS
COMMVNIRET
QVAM · CITO · ADOLESCENTES · PERCIPERENT
ET · FIDELITER · TENERENT

VI.

INGENII · VIRES
ALVIT · COMMENTATIONE
AVXIT · EXERCITATIONE · ET · STVDIO
NVLLVM · ILLI · TEMPVS
A · SCRIBENDO · ET · LEGENDO
VACAVIT

VII.

EIVS · INGENII · CVRSVM
NON · RERVM · PVBLICARVM · EVERSIONES
NON · PRAVA · SCRIBENTIVM · CLAMOR
NON · ECCLESIAE · HOSTIVM · LIVOR
RETARDARVNT

VIII.

QVO · STVDIO · IN · SOCIETATEM · IESV · FERRETVR
COGNITVM · EST · MENSE · MARTIO · ANNO · MDCCCXLVIII
CVM · EXILIVM · IN · ANGLIA
OBLATIS · SI · A · SOCIETATE · IESV · DESCISCERET
HONORIBVS · ANTETVLIT

IX.

EXIMIVS · VIRTVTI
ET · DOCTRINAE · EIVS
HABITVS · EST · HONOS
A · PIO · IX · PONTIFICE · MAXIMO
CVM · PERRONIO · DE · STVDIORVM · FRVCTV
DATIS · LITTERIS · EST · GRATVLATVS

X.

QVID · INGENIO · DOCTRINA · STVDIO
VALEAT · PERRONIVS
VOLVMINA · IN · VVLGVS · EDITA
LOQVVNTVR
IN · HIS · VIVIT
POSTEROS · ERVDIENS

XI.

IN · PERRONIVM
INTVENS · POSTERITAS
DISCET
ROMANAM · PETRI · SEDEM · TVERI
EIQVE · ARCTIVS · HAERERE
QVO · PROCACIVS · IN · EIVS · IVRA
INVADIT
AETAS · IN · PEIVS · LAPSA
IN · DETERIVS · RVENS

Postremo non conticendum, Cherii in Subalpinis, ne civis, toto orbe catholico fama notissimi, memoria in patria intercideret, Patri Perrono lapidem e marmore in templo principe ad Fontem sacrum, in quo ablutus fuerat, positum esse cum titulo ab Aloisio Ceruttio S. I. confecto; qui titulus haec habet:

OPPIDA · CLARA · SVIS · DECVS · ADDVNT · CIVIBVS · VLTRO
A · CLARIS · REPETVNT · CIVIBVS · IPSA · DECVS

BAPTISMATE · SANCTO · HEIC · RITE · ABLVTVS · EST
V · IDVS · MARTIAS · AN. · MDCCXCIV · F. · F.
IOHANNES · ANDREAS · PERRONE
CHERIENSIS
QVI · GRANDIVSCVLVS · SOC. · IESV · AMPLEXVS
ACRI · INGENIO · ET · MIRA · SEDVLITATE
THEOLOGICIS · DISCIPLINIS · TRADENDIS
TVM · IVGI · VOCIS · MAGISTERIO
TVM · PLVRIBVS · PLVRIESQVE
IN · VTROQVE · SERMONE · EDITIS · VOLVMINIBVS
PIETATE · DOCTRINA · SAPIENTIA · INSIGNIBVS
L · PROPE · ANNOS · TOTVS · INCVBVIT (3)
DONEC · HONORATAM · SENECTAM
ROMAE · CONCLVSIT · ANNO · MDCCCLXXII (4)
CONRADINVS · E · MARCH. · CAVRIANI
MANTVANVS
ARCHIEP. · TITVLARIS · ADANAE
IN · PATRIA · TANTI · VIRI
AD · AEDEM · ANTONIANAM · HOSPES
VOTVM · IMPLENS · COLL. · CANONICORVM · ET · KLERI
MNEMOSYNON · POSVIT · DOCTORI · SVO · CARISSIMO
DE · SE · DE · INCLYTA · HAC · CIVITATE
DE · ITALIA · DE · ORBE · CATHOLICO
ACTVOSA · IN · EXEMPLVM · SANCTIMONIA
OPTIME · MERITO

SCRIBENTI · VNA · FVIT · TIBI · CORDI · GLORIA · CHRISTI
NON · LEVIS · AT · SCRIPTIS · GLORIA · PARTA · TIBI

OPERA EDITA

1° *Praelectiones Theologicae, quas in Collegio Romano Societatis Iesu habebat Ioannes Perrone e Societate Iesu in eodem Collegio Theologiae Professor.* Romae in Collegio Urbano de Propaganda Fide, 1835-42, 8°, 9 Vol.

Pluries sunt editae, vel integrae, vel in partes divisae, et in complures sermones translatae.

2° *Analisi della Simbolica del Sig. Prof. Moehler e considerazioni sulla medesima intorno alle sue relazioni coll'insegnamento cattolico e protestante, recitata il dì 17 Agosto 1837, nell'Accademia di Religione cattolica.* Roma, Tipografia Salviucci, 1837, 8°, pp. 30.

3° *L'Ermesianismo.* Art. I Storico. (Item, ibidem) pp. 52.

4° *Istruzione sulla Dottrina dell'Incarnazione per uso degli Abissini.* Roma, Tipografia della Propaganda, 1839.

In Armenicum sermonem versa est.

5° *Analisi e Riflessioni sulla storia del Papa Innocenzo III, e del suo tempo, scritta da Federico Hurter.* Roma, Tipografia delle Belle Arti, 1840, 8°, pp. 26.

6° *Riflessioni sul metodo introdotto da Giorgio Ermes nella Teologia Cattolica, e sopra alcuni speciali errori del medesimo.* (Inibi), 1843, 8°, pp. 118. (Gallice versae).

7° *Sunto analitico della Dissertazione polemica di Sua Em. Rev.ma il Sig. Card. Luigi Lambruschini, Vescovo di Sabina, Bibliotecario di S. Chiesa, etc., sull'Immacolato Concepimento di Maria.* (Item), 1843, 8°, pp. 30. (Hispanice et gallice redditum).

8° *Sul titolo di Chiesa Cattolica, che si attribuiscono le Comunioni separate dalla Chiesa Romana; dissertazione, recitata nel dì 8 Giugno 1843 nell'Accademia di Religione cattolica.* Roma (Item) 1843, 8°, pp. 36. (Gallice, hispanice et germanice translatum).

9° *Praelectiones Theologicae, quas in Collegio Romano habebat Ioannes Perrone e Societate Iesu, ab eodem in compendium redactae.*

Romae, in Collegio Urbano de Propaganda Fide; 1845, 8°, 5 Vol. Pluries editae, ubique gentium, cum additamentis.

10° *Historiae Theologiae cum Philosophia comparatae Synopsis.* Romae, Typis S. Congregationis de Propaganda Fide, 1845, 8°, pp. 60. (Excerpta ex opere antecedenti).

11° *Esame della Pastorale emanata dal Sinodo della Chiesa Episcopale Protestante negli Stati Uniti d'America, nell'Ottobre del 1834.* (Annali delle Scienze religiose, etc.) Roma, Seconda Serie, 1845, Vol. I, Fasc. I, p. 5-45. (Anglice versum).

12° *Sunto analitico dell'opera* — La lettura della Santa Bibbia in lingua volgare, giudicata secondo la Scrittura, la Tradizione e la sana ragione *di I. B. Malou, Prof. e Decano della Facoltà di Teologia nell'Università Cattolica di Lovanio.* Roma nella Tipografia Salviucci, 1847, 8°, pp. 74.

13° *Analisi della* Theologia moralis universa ad usum Clericorum Dioecesis Novariensis, *auctore Petro Scavini, Vic. Gen., etc. Editio III.* Novariae, 1847, 3 vol· 8°, (negli annali delle Scienze religiose, etc. Serie II, 1847, t. V, pp. 3-15).

14° *De Immaculato B. V. Mariae Conceptu an dogmatico decreto definiri possit. Disquisitio theologica Ioannis Perrone e Societate Iesu, in Coll. Rom. theol. Prof.* Romae excudebant Ioannes Baptista Marini et Bernardus Morini MDCCCXLVII, 8°, pp. VIII-287.

Huic operi praepositae sunt breves litterae Pii IX, S. P. ad Auctorem. Gallice, germanice et batavice translatum est.

15° *Della denominazione che la Chiesa Cattolica dà alle Comunioni da lei divise di eretiche e scismatiche. Dissertazione del R. P. Giovanni Perrone d. C. d. G. Professore di Teologia, letta nell'Accademia di Religione li 2 Settembre 1847.* Roma, 1848, Tipografia di Clemente Puccinelli, 8°, pp. 178.

16° *Circa l'Infallibilità costantemente professata come articolo di fede dalla Chiesa Cattolica. Appendice alla dissertazione* della Denominazione che la Chiesa Cattolica dà alle Comunioni, etc. *(V. Opus superius).* Annali delle Scienze religiose. Serie II, t. VIII, (Roma) 1851, pp. 5-36.

17° G. PERRONE. Opuscoli Teologici intorno alla Chiesa Cattolica ed al Protestantesimo. Napoli, coi Tipi di Vincenzo Manfredi 1851, 1852, 8°, 2 Vol.

Hoc opus complectitur ea quae recensuimus sub Num. 8°, 15°, 16°.

18° *Il Protestante e la Bibbia, ossia Risposta ad un Ministro Protestante del P. G. Perrone d. C. d. G.....* coi tipi della Società Tipografica Bolognese, 1852.

19° *Analisi dell'Opera* Tableau analytique de l'Histoire universelle, présenté d'après les vrais principes pour servir de guide aux études,

historiques, par le P. H. Freundenfeld de la Compagnie de Jésus. *A Paris, chez Poussielgue-Rusand. A Lyon, chez J. B. Pelagaud et C.* 1848, pp. VII-517.

Negli Annali delle scienze religiose, Roma, 1850. Serie II, num. XXI, p. 398-416.

20° *Discorso recitato in Roma all'Accademia dell'Immacolata Concezione di Maria dal P. Giovanni Perrone d. C. d. G.* Roma, Tipografia delle Belle Arti, 1853, 8°, pp. 16.

21° *Il Protestantesimo e la Regola di Fede per Giovanni Perrone d. C. d. G. Professore di Teologia nel Collegio Romano.* Roma, coi tipi della *Civiltà Cattolica,* 1853, 8°, 3 volumi.

22° *Discorso accademico in onore di S. Pietro, recitato nell'Arcadia, nella solenne tornata, tenuta nella Protomoteca Capitolina dal Rev.mo P. Giovanni Perrone d. C. d. G. li 9 Luglio 1854.* 8°, pp. 23. (Estratto dagli Annali delle Scienze religiose).

Argumentum huius sermonis hoc est: *L'Odio e l'Amore a Roma.*

23° *Catechismo intorno al Protestantesimo, ad uso del popolo, per Giovanni Perrone d. C. d. G.* Roma, pei tipi della *Civiltà Cattolica,* 1854, 16°, pp. 167.

Pluries est editus, et in hispanum sermonem etiam translatus.

24° *Catechismo intorno alla Chiesa Cattolica ad uso del popolo.* (Ibid. idem) pp. 239.

Hispanice et anglice evulgatus.

25° *Thesis dogmatica de Immaculata B. M. V. Conceptione.* Romae, Typis S. Congr. de Prop. Fide, 1855.

26° *Quesito: se in una religione rivelata e positiva, qual è la religione cristiana, debba porsi il magistero dell'autorità, o l'autonomia della ragione.* Roma, Tipografia Forense, 1857.

27° *Opuscoli teologici spettanti al Cristianesimo e al Protestantesimo.* Milano, 1858, Tipografia di Pietro Agnelli, 8°, 2 vol.

Paululum differt a Num. 17°.

28° *De Matrimonio Christiano. Libri tres. Auctore Io. Perrone e Soc. Iesu, in Coll. Rom. gen. studiorum Praefecto.* Romae, Typis S. Congregationis de Prop. Fide MDCCCLVIII, 8°, 3 vol., pp. XVIII-466, 495, 540.

29° *Lettre du P. Perrone à M. le Chanoine Lupus.* Journal historique de Liège 1859.

30° *Sul Comunismo e Socialismo. Dissertazione del R. P. Giovanni Perrone d. C. d. G.* S. l, e a; 8°, pp. 20. Lecta est in Academia Religionis die XXIX Aug. a. MDCCCLXI.

31° *Piccolo Catechismo intorno ai Barbetti, o Valdesi, ad uso del popolo; per Giovanni Perrone d. C. d. G.* Pisa, 1861. Tipogr. delle Letture Cattoliche, via della Faggiuola, 16°, pp. 37.

32° *S. Pietro in Roma, ossia la verità storica del viaggio di S. Pietro a Roma, dimostrata contro un novello impugnatore da Giovanni Perrone d. C. d. G.* Roma 1861, dalla Tipografia Forense in via della Stamperia Camerale, N. 4, 8°, pp. 68.

Opus hoc conscriptum fuit adversus librum cui titulus: *Impossibilità storica del viaggio di S. Pietro a Roma, dimostrata sostituendo alla falsa tradizione la vera.* Torino 1861. Etiam hispanice prodiit.

33° *L'Idea Cristiana della Chiesa avverata nel Cattolicismo, per Giovanni Perrone d. C. d. G. prefetto degli studi nel Collegio Romano.* Genova, Dario Giuseppe Rossi, Editore, 1862, 16°, pp. 576.

34° *L'Idea Cristiana della Chiesa, distrutta nel Protestantesimo, per Giovanni Perrone d. C. d. G.* (Ibid. item). 8°, pp. 530.

35° *L'Amico di casa smascherato per gli anni 1862-3.*

In hoc libello multa a Perrono conscripta sunt (5).

36° *L'Apostolato Cattolico ed il Proselitismo protestante; ossia l'Opera di Dio e l'Opera dell'Uomo, per Giovanni Perrone.* Genova, Dario Giuseppe Rossi, Editore, 1862, 8°, pp. 602.

37° *Il Protestantesimo svelato nella sua origine, nella sua natura, ne' suoi effetti, per Giovanni Perrone d. C. d. G.* Torino, Pietro di G. Marietti, tip. Pontificia, 1866, 16°, pp. 108. (Hispanice versum).

38° *La Lucilla disingannata, ossia il Protestantesimo svelato, per Giovanni Perrone d. C. d. G.* Ut supra, 1866, 8°, pp. 311.

39° *I Protestanti in Italia, ossia conversazioni famigliari intorno al Protestantesimo, per Giovanni Perrone.* Torino, Marietti, 1869, 32°, pp. 316.

40° *De D. N. Iesu Christi Divinitate adversus huius aetatis incredulos, rationalistas et mythicos. Libri tres, auctore Ioanne Perrone S. I. in Collegio Romano Studiorum Praefecto.* Taurini, ex typis Hiacynthi Marietti MDCCCLXX, 8°, 3 vol. pp. 210, 560 et 448.

41° *Valdesi primitivi, mediani e contemporanei per Giovanni Perrone d. C. d. G. Prefetto degli studi nel Collegio Romano.* Torino, Tipografia dell'Oratorio di S. Francesco di Sales, 1871, 16°, pp. 304.

42° *Dissertazione intorno all'Infallibilità ed Autorità del Sommo Pontefice, recitata dal P. Giovanni Perrone d. C. d. G. nell'Accademia di Religione Cattolica in Roma il 23 Agosto 1871.* Guastalla, Tip. Vescovile, 1871, 16°.

43° *De Romani Pontificis Infallibilitate, seu Vaticana Definitio contra novos haereticos asserta et vindicata, auctore Ioanne Perrone S. I. in Collegio Romano studiorum Praefecto.* Augustae Taurinorum, ex Typ. Pont. et Archiep. eq. Petri Marietti, MDCCCLXXIV, 8°, pp. 224.

44° *Lettre a l'Abbé Chassay.* (anno 1849 p. m.) *in opere cui titulus* Démonstrations évangeliques; *Migne, T. XVIII, col. 553-6* (6).

NOTAE

(1) Per id tempus, anno nimirum MDCCCXXVII, quattuor sollemnia religiosae professionis vota Perronus emisit.

(2) In tabella anni MDCCCLXX, quam catalogum nominamus, munera, quae P. Perronus Romae obibat, hoc ordine recensentur:

Praef. gen. stud., Theol. Dat. Apost., Cons. SS. Congreg. Conc., Indic., de Prop. fid. pro neg. eccl. orient. et de neg. eccl. extr., Sacr. Rit., Episc. et Reg., Exam. Apost. Episc., Cler. Rom., et Synod. Dioeces. Port., Ost., Sabin., Alban., et Tusc., e Coll. theol. apud Archig. Rom., Revis. gen. libr., Cons. prov. et Pontif. Theol. Concil.

(3) Non annos quinquaginta, sed sexaginta in hoc incubuit

(4) Non Romae anno MDCCCLXXII, sed Castri-Gandulfi anno MDCCCLXXVI, uti in eius elogio equidem docui, vitam explevit.

(5) Hoc opus recenseri debet sub numero antecedenti, ordine chronologico.

(6) Aloisius Tripepi, recensitis Perroni operibus, haec subdit: *La somma di tutte le edizioni delle (sue) diverse opere, è di oltre 130, non contando le traduzioni, e i trattati stampati a parte per varie congregazioni, sino al 16 Maggio 1875.*

Ut Perroni elogium magis ad veritatem conscriberem, secutus sum praecipue quae de eodem nondum vita functo enarravit in ephemeridibus, quae inscribuntur *Il Papato*, Aloisius Tripepi, qui postea inter Patres Cardinales est adlectus. Anno I, Vol. 1. Roma. Editore proprietario Prof. Pietro Cristiano, 1875.

EPILOGVS

HAEC habui praecipua, quae de sodalibus meae provinciae scripto referrem. De claris scriptoribus existimo a me praetermissum esse neminem. De ceteris clariores duntaxat commemoravi. Aetas enim et valetudo admonuerunt, ut modum tandem mihi imponerem, ne operis editio in discrimen veniret. Itaque, quamquam prata satis fortasse non biberunt, rivos clausi. At vero, quid impedit quominus agricola validior illos iterum aperiat, et de reliquis sodalibus, qui, opinione sua, clari sint habendi, sermonem habeat? Videat tamen, utrum magis praestet aliquem deesse, quam superesse. Quis enim metam constituat, quam si contigeris, clarus evaseris? De iis, qui a Societate nostra defecerunt, consulto tacui.

Postremo non committam, ut eorum immemorem me exhibeam, qui huic operi conscribendo, vel exornando, vel etiam recognoscendo et edendo, mihi praesto fuerunt. Illis igitur, pro suo cuique merito, gratias ago, habeo et, si quid potis ero, libenter referam. Interea Deum enixe rogo, ut hos omnes ad unum bona sospitet ope.

INDEX OPERIS

PROLOGUS . . . . . *Pag.* IX

COMMENTARII

I. Carolus-Emmanuel Sabaudus . . » 3
ortus 24 Maii 1751; obiit 6 Octob. 1819.

II. Ioannes-Antonius Grassi . . . » 17
10 Septemb. 1775; 12 Decemb. 1849.

III. Isaïas Carminati . . . . . » 27
12 Ian. 1798; 29 Apr. 1851.

IV. Iosephus Calvetti . . . . . » 37
27 Octob. 1819; 3 Febr. 1855.

V. Paulus Beorchia . . . . . » 43
15 Ian. 1795; 21 Aug. 1859.

VI. Natalis Santini . . . . . » 49
25 Decemb. 1819; 29 Maii 1862.

VII. Tiberius Sagrini . . . . . » 55
25 Aug. 1806; 25 Febr. 1865.

VIII. Aloisius Bado . . . . . » 61
17 Iunii 1813; 24 Apr. 1868.

IX. Ferdinandus Minini . . . . . » 65
31 Decemb. 1796; 14 Apr. 1870.

X. Fridericus Tornielli . . . . . » 71
6 Octob. 1799; 25 Novemb. 1876.

XI. Alexander Ponza a S. Martino . . *Pag.* 81
ortus 22 Decemb. 1812; obiit 26 Maii 1878.

XII. Iosephus Paria . . . . . » 87
15 Iulii 1814; 13 Octob. 1881.

XIII. Ioannes-Baptista Centurione . . » 99
22 Septemb. 1816; 4 Maii 1882.

XIV. Iosephus Giorda . . . . . » 105
19 Martii 1823; 4 Aug. 1882.

XV. Ioannes-Baptista Rostagno . . . » 119
13 Iunii 1816; 9 Maii 1883.

XVI. Iosephus Boero . . . . . » 123
15 Aug. 1814; 8 Febr. 1884.

XVII. Franciscus Pellico . . . . . » 137
12 Febr. 1802; 29 Apr. 1884.

XVIII. Iosephus Fantoni . . . . . » 149
11 Febr. 1819; 29 Ian. 1885.

XIX. Ioannes-Baptista Baroni . . . » 157
14 Ian. 1817; 14 Decemb. 1885.

XX. Aloisius Merea . . . . . » 167
15 Maii 1814; 21 Martii 1886.

XXI. Thomas Gallo . . . . . » 173
8 Febr. 1820; 21 Martii 1889.

XXII. Albertus Cetta . . . . . » 179
11 Martii 1814; 17 Aug. 1890.

XXIII. Iosephus Brunengo . . . . . » 183
12 Ian. 1821; 11 Maii 1891.

XXIV. Iosephus Bayma . . . . . » 191
9 Novemb. 1816; 7 Febr. 1892.

XXV. Sebastianus Sanguineti . . . » 211
12 Octob. 1829; 27 Ian. 1893.

XXVI. Aloisius Cerutti . . . . . » 217
10 Septemb. 1817; 24 Febr. 1893.

XXVII. Secundus Franco . . . . . » 225
22 Ian. 1817; 10 Novemb. 1893.

XXVIII. Camillus Mella-Arborio . . . *Pag.* 251
ortus 13 Febr. 1828; obiit 12 Aug. 1894.
XXIX. Iosephus Oreglia a S. Stephano . » 257
26 Martii 1823; 29 Octob. 1895.
XXX. Iacobus Razzini . . . . . » 271
9 Decemb. 1816; 11 Febr. 1896.
XXXI. Paschalis Tosi . . . . . » 279
25 Apr. 1835; 14 Ian. 1898.
XXXII. Henricus Vasco . . . . . » 285
18 Iulii 1813; 21 Iulii 1899.

PARERGON

I. Aloisius-Maria Solari . . . . » 297
30 Maii 1795; 27 Aug. 1829.
II. Aloisius Taparelli ab Azelio . . » 303
24 Novemb. 1793; 21 Septemb. 1862.
III. Ioannes Perrone . . . . . » 315
11 Martii 1794; 28 Aug. 1876.

EPILOGUS . . . . . » 330

NEMO SINE VITIIS NASCITVR

OPTIMVS ILLE EST

QVI MINIMIS VRGETVR

		ERRATA	CORRIGE
Pag.	*Linea*		
15	29	scribit	narrantur
48	37	un	une
71	13	addidit	adiecit *(item pag. 138, lin. 2.)*
78	37	scalae, quae..... ducit	scalarum, quae..... ducunt,
102	8	$\overline{\text{VI}}$	$\overline{\text{IV}}$
122	6	ab alio	a nobis
128	29	N°	Num *(et alibi fortasse corrigendum)*
145	12	ipsius	eius
187	19	1862	1682
198	20	opera	opere
199	18	apertum non fuit	dubium fuit
228	25	laetissime	latissime
237	3	Victorius	quo Victorius
288	16	egregie promerita	egregia promerita

Haec etiam alia, videlicet: *bienno — impetiierat — traepidantibus — memomoratu — contituisset — saepissimae — The Verba — introeuntibusdis tribuendum* — ita sunt corrigenda ubi reperiuntur: *biennio — impetiverat — trepidantibus — memoratu — constituisset — saepissime — The Yerba — introeuntibus distribuendum.* Cetera, ea praesertim multo frequentiora, quae interpunctionem respiciunt, lector per se ipse facilius emendabit, et indulgebit non solum typothetae, sed etiam auctori, qui, ob oculorum laborem, magnam operis partem amanuensibus dictavit. Alius autem aliam, uti fit, interpungendi rationem est secutus.

Praeterea lectorem admoneo, inscriptionem sepulcro Caroli Emmanuelis IV insculptam, non a Iosepho Petruccio, uti in pagina 11, linea 7 equidem scripsi, sed a Carolo Boucherono confectam fuisse, et in eadem inscriptione (pag, 12, linea 7) ubi legitur: *vitam duxit,* legendum esse: *vitam vixit.*

060.96
C 261
CASAGRANDI, A. P. SAL.
6772
AUTHOR
De Claris Sodalibus... S.J.
TITLE
DATE LOANED | BORROWER'S NAME | ROOM NUMBER
Cunn
22Nov'46 R. F. Copeland S.J. Univ. Santa Clara
Hagemann
Cunn
Moholy
STORAGE - C
6772